QUÆSTIO FACTORUM,

IN APOLOGIA

Pro Abbate & Priore Monasterii Rodensis &c. per R. D. NICOLAUM HEYENDAL, ejusdem Monasterii Priorem,

CONTENTORUM,

Cum primis Reflexionibus ad ejusdem Libellum,

Defensio Scriptorum Theologicorum &c.

PER

E x. P. BERNARDUM DESIRANT,

Theologum Cæsareum &c.

Teipsum condemnas: eadem enim agis quæ judicas.
Ad Rom. cap. 2. v. 1.




CONFLUENTIÆ,
Typis FRANCISCI KRUBLER, Typographi Aulici.

Superiorum permissu. 1713.

Ex Sancto Hieronymo, Epist. ad Ctesiphontem.

ECclesiæ victoria est vos apertè dicere, quod sentitis: Aut enim responsuri estis, quod & nos loquimur: & nequaquam eritis adversarii, sed amici: Aut si contraria nostro dogmati dixeritis; in eo vincemus, quòd omnes cognoscent Ecclesiæ, quid sentiatis.



PRÆFATIO

AD

LECTOREM CATHOLICUM.



Um præcipua mihi cura esset de dogmate, nihil in nupera *Dissertatione dogmatica de Oratione Pharisæi & Publicani*, tractatum volui, nisi quod præcisè tangeret doctrinalem controversiam Juris, *de sensu Orationis Dominicæ.* Cetera quæ facti erant contempsi; tum quia parum aut nihil conducunt ad instructionem Fidelium, tum quia sæpiùs in similibus valet parœmia, *spreta vilescunt.* Jam verò undequaque me pulsat rumor & querela, quòd Apologista velut ex imperio consiliis meis alium sensum tribuat. Quin etiam illius vel symmistæ, vel adulatores (gens jactabunda) extolluntur in altum, exprobrantes & insultantes mihi ceu devicto, quòd ad facta ista non valuerim respondere, & consequenter Apologistam, me quoque currum ejus propellente triumphare. Etiam hoc spernerem, si vel imaginaria victoria posset hominem reducere. Tot verò tantæque ad me deferuntur consequentiæ ex ulteriori meo silentio in præsentibus circumstantiis sequi natæ, ut vel invitus cogar innumeris amicorum suasionibus & ferè precibus obedire, revocando ad incudem, quæ oblivioni tradere mens fuerat. Vincite ergò amici & vincite, habetis *Quæstionem Factorum.* Muto silendi volun-

tatem, quia ostendistis necessitatem, ne falsitas & jactantia adorari, & ne maledicentia cum veritatis dispendio nimiùm timeri putetur.

Primam hanc mercedem referat durus Libellus, obscurum Opus, *Defensio Scriptorum Theologicorum de gratia Christi, dudum à R. D.* NICOLAO HEYENDAL, *tunc Abbatiæ Rodensis Priore, & sacræ Theologiæ Professore, dictatorum.* Prodit sine censura, sed cum approbationibus quatuordecim diversi Ordinis & Gradûs, ejusdem verò sensûs Professorum, quorum annuntianda sunt Ecclesiæ tristia nomina: 1. *J. L. Hennebel*, sacræ Theologiæ Doctor & Professor, &c. 2. *Guilielmus Renardi*, sacræ Theologiæ Doctor & Professor Regens. 3. *Florentius Sullivane*, sacræ Theologiæ in Universitate Lovaniensi Doctor, Insignis Ecclesiæ Collegiatæ Beati Jacobi Canonicus & Decanus, necnon Collegii Hibernorum ibidem Præses. 4. *F. Verschuren*, sacræ Theol. Doctor & Professor. 5. *F. Norbertus d'Elbecque*, Ordinis Prædicat., sacræ Theol. Doctor, Regens Primarius studii generalis Lovaniensis, & Prior Conventûs Namurcensis. 6 *G. Delvaulx*, in Universitate Lovaniensi sacræ Theol. Licentiatus & Professor Ord, ad sanctam Gertrudem Pastor. 7. *Wilhelmus Wildt*, antehac sacræ Theol. multis annis Professor, & nunc Ecclesiæ Regalis Beatæ Virginis Mariæ Aquisgrani Canonicus 8. *Fr. Henricus à sancto Ignatio*, Ordinis Carmelitarum Exprovincialis, sacræ Theol. Professor emeritus 9. *Fr Augustinus Bouhon*, sacræ Theol. in perantiquo Divi Jacobi Monasterio Professor. 10. *Fr. Nicolaus de Tombeur*, sacræ Theol. Licentiatus. 11. *Fr. Joannes Libens*, sacræ Theol. Licentiatus & Professor Lovan. 12. *Fr. Aurelius Piette*, sacræ Theol. Professor Lovan. 13. *Gerardus Alexander Delhougne*, sacræ Theol. Licentiatus, ad sanctum Petrum Lovanii Canonicus. 14. *P. van Hamme*, sacræ Theologiæ

Licentiatus & Professor Ord., Cathedralis Ecclesiæ sancti Donatiani Brugis Canonicus.

Miror quòd tam pauci, ubi numerus placebat. Eâdem operâ advocâsset Missionarios in Hollandiâ lapsos, & id genus alios.

Nota est historia nupera famosi *Casûs conscientiæ* in Galliis. Speciosus prætextus conscientiæ, & imago amoris erga Doctrinam Augustinianam dolosum Opusculum conceperat; & quadraginta subscribentium intentio ex illius tenore detecta est.

Quid de scripto tuo, mi Apologista, quid de quatuordecim Approbatoribus istis dicam, quid dicet Ecclesia, quid Sedes Apostolica? Illi Te, Tu illos prodis. Prodit verò vos omnes amarulentia styli contra honestatem, solitæ vehementiæ contra æquitatem, & insultationes personales contra virtutum reginam, cujus semper nomen vobis in ore natat, Caritatem. A quibus equidem si non potestis temperare; toties tamen moniti satageretis dissimulare, dum ullo modo crederetis vos pro veritate scribere. Is enim cui veritas cordi est, ab iis profectò abstinet, quæ eam vel obfuscant, vel dehonestant. Ubi verò pertinacia accessit ad errorem, tunc ira, tunc indignatio, tunc vindictæ libido & dirus furor primas partes tenent, cultores suos excæcant, coguntque oblivisci quòd communem fecerint professionem externæ modestiæ, externæ honestatis (externa hîc sunt omnia) externæ pietatis, cujus internam Religionem, per similes excessus plenè dejiciunt.

Diù autem, multùmque Apologista calumniaberis, antequam me, ùt autumas, à defendanda veritate contumeliis tuis deterreas. Totis binis libris tuis ultimis sparsas, & à plerisque Approbatoribus tuis ex quatuordecim nominatis repetitas non recensebo quidem.

Unicum dicam: Si vis Apologista cogere scribentem metu, laudes minare, nam à Te, Tuisque contemni, votum est mihi. Tu verò quantùm calumniis istis non mihi, sed tibi noceas, fac cogites; cùm scriptum sit, *maledici regnum Dei non possidebunt.* Jungam & illud Augustini contra Julianum, *cur ergò tam calumniosè insurgis in me, nec respicis te?* Lib. 6 Op. Imp. Falleris etiam, si prudentis Lectoris putes inde nundinari gratiam, vel inclinare favorem: Tantùm enim de petulantiis istis ridet Catholicorum gravitas, quantùm de ruïnis vestris plorat eorumdem Caritas.





QUÆSTIO FACTORUM

IN APOLOGIA

Pro Abbate & Priore Monasterii Rodensis, &c.

CONTENTORUM.

QUÆSTIO PRIMA.

Qualiter Apologista se suosque ab eminentia modestiæ & sobrietatis laudans, introduxerit modum adversariis mittendi scriptas retorsiones contumeliis plenas.



Pologista nuper in arenam descendens, de se suisque credi jubebat Universo: *Nos verò, Divinâ opitulante gratiâ, domi quidem juxta easdem* (constitutiones) *in* PERFECTA *cordium unione, & bonorum communione pro modulo nostro* EXACTE *vitam exigere, foris autem sobrietatis, & modestiæ Religiosæ inter homines exemplum præbere studemus.* Orthodoxiæ pag. 3. O Præclarè dictum, & omni exceptione majus, si verba sufficiant, ubi factis opus est!

Faustus Manichæus (Absit invidia exemplo) cùm à S. Augustino interrogaretur, utrùm reciperet Evangelium, respondebat: *Vides in me Christi Beatitudines illas, quæ Evangelium faciunt, & interrogas utrùm illud accipiam? Vides pauperem, vides mitem, vides pacificum, puro corde, lugentem, esurientem, sitientem, persecutiones & odia sustinentem propter justitiam, & dubitas utrùm accipiam Evangelium?* Lib. 5. contra Faustum Manichæum cap. 7.

Bellè quidem; sed audiamus S. Augustinum replicantem: *Si hoc esset justum esse justificare seipsum, verbis suis volasset in Cœlum homo iste, cùm hæc loqueretur.* Idem verò Faustus totus erat ut Catholicos deprimeret, contemneret, insultaret.

Sequitur ut agamus de jactata Apologistæ modestia.

Tristem inter seculares quosdam inferioris notæ in hisce partibus didici esse morem, ut qui se putat passum injuriam personalem, mittat Notarium publicum cum schedula provocatoria quam nuncupant RETORSIONEM, id est, injuriarum repercussionem. Hæc in mea Patria feliciter ignorantur, quin & viri probiores improbant etiam in hac, nec non Concionatores Catholici strenuè contra illas prædicant, cunctique sacræ Theologiæ Professores impugnant, solis nostris modestis Rodensibus exceptis, quorum Superiores è contrà hanc praxim non modò sustinent, verùm etiam alios suis exemplis docent, quasi ad injiciendum licitum terrorem.

Præfata Apologistæ *Orthodoxia* Aquisgrani prodierat circa medium Martii 1710. In subsequenti vero mense Aprilis præclarus aliquis Concionator quædam ex Cathedra dixerat neminem nominando, quæ sibi Rodenses ita adscripserunt, ut Abbas defunctus statim die 26. ejusdem Aprilis ad Concionatorem miserit acerbissimæ ejusmodi retorsionis instrumentum, cujus fuerunt distributa exemplaria quamplurima, in quibus nec modestiæ, nec sobrietatis exemplum videre fuit. Copiam non adjungo, quia parcitum volo eatenus honori defuncti.

Aliqua videbatur spes esse ut res hæc foret singularis, nec traheretur in consequentiam, vel consuetudinem, præsertim inter illos qui præ reliquis jactabant strictam vivendi rationem, rigidumque amoris ordinem.

Sed ut cetera, brevitatis causâ prætercam, eodem ferè tempore quidam zelosus & doctus ejusdem Abbatiæ alumnus, ex amore veritatis, & studio Caritatis, Apologistam etiam coram eodem Abbate defuncto religiosè monuerat de quadam fama quæ de illo currebat tamquam authore famosæ satyræ contra Ministrum Apostolicum scriptæ sub titulo, *Epistola historica de enormi agendi ratione.* Acciderat hoc, ùt posteà didici, 18. Aprilis in die veneris sancto Quis credidisset, quòd Apologista noster, strenuus ille præco Caritatis, tantusque modestiæ & sobrietatis prædicator, ivisset in iras, & permisisset septemdecim Soles occumbere super iracundiam suam, atque tunc animo plenè deliberato coram Notario publico Apostolico Cæsareo & testibus, horrendissimum edidisset retorsionis instrumentum, quod Confratri suo (quem tantummodò appellabo Dominum Petrum) juris ordine fecisset communicari, jubens

fieri

fieri plures copias aliis distribuendas, quarum aliquas distributas vidi?

Tantæne animis cœlestibus iræ?

Ut autem doctrinæ hujus & praxis excessus salutari confusione dejiciatur, proferam copiam juxta originale quod habeo ad manus, ut serviat in speculum jactatæ Caritatis Rodensis.

Domine Notarie, noveritis, ex testibus fide dignis mihi constare quod Dominus Petrus N. eousque abreptus fuerit vesanis æstibus furoris sui (hæccine Rodensis modestia?) *ut nullam habens rationem veritatis, & oblitus omnis fraternæ charitatis, omnis Christiani sensûs,* (hæccine Rodensis sobrietas?) *atque adeò omnis humanitatis, ex solò studio me honore privandi, mihique per mendacissimam imputationem apud Celsissimum Dominum Nuncium Apostolicum Coloniensem invidiam conflandi, mihi Confratri suo & ejusdem Abbatiæ Priori in faciem improperare, & idipsum etiam pluribus aliis positive asseverare non formidarit, me esse authorem libelli cujusdam famosi, anno præterito in eundem Celsissimum Dominum de rebus ab eo in nupera visitatione Aquisgrani gestis, editi, & istius facinoris tamquam à me patrati famâ nomini meo totique Monasterio nostro injuriosissimâ viciniam & Aquisgranum repleverit, aditis etiam Abbatiæ nostræ professis Adversariis, qui calumniosissimam fabulam tantò audaciùs ubique divulgant, quod dicant, ità se ab uno ex nostris didicisse.*

Cum autem ego, quod solemnissimè protestor, & quod adversario meo ad probandum citato, & non comparente, coram legitimo utriusque nostrûm Superiore, solemni juramento firmavi (sponte scilicet, & in propria causa) *istius criminis nullam prorsus conscientiam aut notitiam habeam; & dubium non sit, quin Dominus Petrus N. ad tam atrocem calumniam mihi falsò ac mendaciter impingendam prosilierit ex illis eisdem inveteratis odii, rancoris, invidiæ, ambitionis, & malevolentiæ stimulis* (hæccine Rodensis Caritas?) *ex quibus me, licet nunquam de se male meritum, jam à viginti sex annis, & quod excedit, aspernatus, aversatus, insectatus, persecutus est; ex quibus etiam, ut nunc innumera præterita convitia, & speciatim cognomina* REMIGIS, seu AD TRIREMES DAMNATI, & PATIBULO NOMINETENUS ADJUDICATI, (siste obsecro, cur te is perditum?) *quibus me honorare solitus fuit, sed in ultima nostra reconciliatione ipsi condonata silentio prætercam, nunc recentissimè me* INGENIUM VARIUM *seu heteroclitum,* un genie bizare, *me linguam maledicam, me indignum officio Prioris, me hominem malignitatis abominabilis* (estne credibile?) *me gravis injuriæ im familiam suam commissæ reum, propter quam severitati justitiæ obnoxius factus sim, dictitando, & scriptitando asserere non est veritus.*

Quæ omnia non aliam habent causam, quàm quòd homo sui tantùm amans, & alios præ se pro nihilo ducens, tolerare ac digerere non possit, quòd ex quo

Religionem professus sum, talem me cum ope divina semper exhibere sategerim; moribus, studiis, officiorum mihi delatorum administratione, ut Reverendissimus Dominus Abbas, & omnes Domini Confratres [*uno Domino Petro N. excepto*] *pro suâ humanitate me suâ benevolentiâ & æstimatione dignum arbitrentur.* [Numquid verbis suis in Cœlum volat homo iste?] *De quo ipsemet accusator meus adeò convictus est, ut de eo acerbè conquerens, istam eorum erga me paternam, fraternamque propensionem, subjugationem interpretetur, quasi ego Superiorem & omnes fermè Dominos Confratres meos servituti addictos, voluntatibus meis mancipatos, velut sub jugo & mancipatu teneam. Quâ loquendi ratione simul & injuriam gravissimam infert Superiori, & omnibus Confratribus, quasi tam hebetes sint & fascinati, ut quem ipse solus justè oderit & aversetur ut hominem malignitatis abominabilis, indolis heteroclitæ, lingua maledica, Prioratu indignum, ipsi omnes nihil istorum videntes ament, & æstiment: Et simul prodit se ex sola invidia, in tanta convitia & novissimè in teterrimam illam fabricati Libelli famosi calumniam adversùs fratrem suum erupisse. Ego certè probè novi, quòd nullam aliam causam jure allegare queat, tam fœdè violatæ fidei & charitatis fraternæ ex qua etiam fratrem noxium pallio suo velare debuisset, quantò magis innocenti parcere? Præsertim cùm ego illum numquam verbo vel facto læserim, sed econtrà benè semper de ipso mereri, & omnibus humanitatis & charitatis officiis, ipsum mihi devincire studuerim.*

Porrò quamvis Religioso animæ suæ salutem unicè curanti sua conscientia sufficere possit: fama tamen etiam necessaria est, aliorum utilitatibus ex officio studenti; ideoque meam negligere non debeo, (sobrius prætextus) *præsertim quia in totius nostræ Abbatiæ invidiam & detestationem cessurum esset, nisi impactam mihi confecti dicti Libelli famosi calumniam unà cum cæteris suprà nominatis criminationibus depellerem* (servato moderamine inculpatæ tutelæ.)

Hinc est quòd atrocitatem injuriarum mihi ab eodem Domino Petro N. illatarum ad animum revocans, expeditissimum aliquod quod in promptu esset, illarum propulsandarum medium in-continenti (post septemdecim dies deliberationis) *arripiendum putarim. Et ideò non quidem animo convitiandi, sed tantùm honoris mei defendendi causâ impactas mihi ab eodem immanissimas calumnias in lividum ejus pectus & os maledicum, hisce retorquens, pro eo quem me esse dictavit, ipsum habeo & habebo, & improbum ac mendacem calumniatorem esse affirmo,* (Caritas hæc Christianorum est, an furor Gentilium?) *& affirmare pergam, donec & quousque confectionem dicti Libelli famosi mihi falsissimè imputatam, & reliqua injuriosissima dicta seu scripta sua* [*quod tamen numquam facturus est*] *coram judice meo competente legitimè probaverit.*

Vos, Domine Notarie, instantissimè requirens, ut de hac retorsione mea in-

ſtrumentum authenticum dicto Domino Petro N. inſinuandum conficere, mihique quotquot opus habuero, illius exempla tradere velitis (res ſcilicet erat nimis pulchra, quàm ut pro honore Reformationis Rodenſis collocaretur ſub modio, ponenda erat in candelabro) *referendo etiam ad me, quid vobis in inſinuatione contigerit, ſalvis juribus. Actum in Abbatia Rodenſi 2. Maii anni* 1710. *Sig.* N. HEYENDAL *Canonicus Regularis & Prior Abbatiæ Rodenſis. Concordantiam cum ſuo originali atteſtor, ſignatum erat* Jac. Corneli *Notarius publicus.*

Et inferiùs habebatur, interpoſita eſt præſens ſchedula retorſionis per Reverendum Dominum NICOLAUM HEYENDAL, *Priorem Abbatiæ Rodenſis, præſentibus Reverendo Domino Joanne Henrico Nyſſen ejuſdem Abbatiæ Canonico & Proviſore, & Domino Wilhelmo Henrico Poyer, alti Judicii Rodenſis Scabino, teſtibus fide dignis, ad hunc actum ſpecialiter vocatis & rogatis. Hâc 2. Maii anni* 1710. *in dicta Abbatia Rodenſi.*

Deinde habebatur, inſinuatio facta hâc 2. Maii 1710. *per me* Jac. Corneli *Notarium Apoſt. Cæſar. ac Reg. publicum.*

Hæc ex novo ordine amoris, ſeipſos laudandi uſque ad inſaniam, aliosque calumniandi ad conſervandam famam apocrypham. Hi ſunt qui de ſeipſis in Orthodoxiâ ſuâ, pag. 3. eodem anno 1710. editâ, gloriantur in verbis : *Nos verò, Divinâ opitulante gratiâ, domi quidem juxta eaſdem* (Conſtitutiones) *in perfecta cordium unione, & bonorum communione pro modulo noſtro exactè vitam exigere, foris autem ſobrietatis & modeſtiæ Religioſæ inter homines exemplum præbere ſtudemus.* Ecce enimverò ſpeculum Reformationis Rodenſis : Ecce ad quænam & quanta ponenda in pleno die me coëgerint mille & mille binis annis toleratæ jactantiæ, provocationes, inſultationes : Ecce homines, qui etiamnum tot habent fautores, adulatores, adhærentes, qui non tantùm approbant quòd tales retorſiones à talibus edantur, verùm etiam quòd ab iiſdem tamquam licitæ defendantur.

QUÆSTIO SECUNDA.

De mediis heteroclitis, quibus Apologiſta ſe cum Abbate ſuo putavit purgandum à ſuſpicione Janſeniſmi quam faſſus eſt.

QUotquot indifferentes legerant ab Apologiſta editam *Orthodoxiam*, nomine defuncti Abbatis *Joannis Bock* exaratam, plaudebant quòd pag. 3. dixiſſet, *nemo erat qui Abbatem & Alumnos ejus Janſeniſtas & Rigoriſtas vocitaret.* Glorioſa confeſſio de Abbate *Vonderſteeg*.

Statim verò mirabantur, quòd pag. 4. ſe vir ſuâ ſponte hominibus

de Jansenismo suspectum agnosceret. Indignabantur autem quàm maximè, quòd proposuisset atrocia media, tamquam ad depellendam suspicionem illam unicè necessaria, & quòd inde conclusisset, grassantem suspicionis labem curandam non esse. En verba ejus: *Ex eo tempore non licuit nobis ampliùs evitare vagam illam, & temerariam accusationem, quâ filii hujus sæculi non verentur hoc tempore traducere viros Orthodoxiæ probatissimæ, vitæque integerrimæ.* Nempe non audebimus eos interrogare, an recipiant Evangelium. O filios Dei! Prosequitur pag. 6. *Ego certè semper negligendam, illiusque nullam rationem habendam esse putavi; idque eò magis, quod probè scirem, frustrà fore, si me à vagis istis accusationibus purgare satagerem per scripta publica, per Fidei professiones, per Religionem Sacramentorum; numquam enim futurum esse, ut* MUNDUS SUAM DE ME SENTENTIAM MUTARET, *nisi ego priùs mutarem pristinam vivendi rationem; & ne ampliùs* ESSEM AUT AUDIREM JANSENISTA, *omninò oportere, ut rhedâ veherer quadrijugâ, ut sericis indutus pomposè incederem, ut sæcularibus & amicis meis frequentia & splendida exhiberem convivia, in quibus ipse largiter bibendo convivas ad bibendum provocarem. Ut exlex ipse & ab omnis regularis vitæ servitute emancipatus, interim dum Religiosi mei laudes Divinas decantarent, ego genialiter viverem. Cum verò (quod erubescens, & solâ justæ defensionis necessitate coactus de me dicere compellor) fixum mihi esset, numquam uti hujuscemodi medio, quod unicum esse videbatur, ne Jansenista vocitarer: Jam animo sederat inviolabile servare silentium, & calumniam patientiâ superare.*

Si ego primus talia de Abbate vel Religiosis Rodensibus affirmâssem, Lector cogitet, quænam & quantæ in me Rodensis modestiæ, sobrietatisque machinæ displosæ fuissent. Retuli autem verba ipsorum propria, quæ suâ sponte, non rogatus, cum plurimorum obloquio publico Apologista promulgavit: Atque is est Apologista qui non erubescit in nupera sua *Defensione* sibi contradicere in verbis: *Degebam usque ad annum* 1708. *Theologiæ Professor & Prior in Monasterio Rodensi, nulli fermè notus, nisi Collegis meis, nulli Collegarum invisus, præterquam uni, quem novit Ex. Pater Desirantius. Neque enim mundo cupiebam innotescere, sed latère ac mori in nidulo meo, quamvis nunc placuerit Domino, aliud de me sive disponere, sive permittere. Itaque occupatus negotioso Theologiam docendi, & regularis disciplinæ observationem à me meisque Confratribus exigendi otio, in pace & tranquillitate vivebam, de Jansenismo usque ad illud tempus* A NEMINE MORTALIUM IN SUSPICIONEM VOCATUS. Pag. 3. Combinent ista cum superioribus quatuordecim famosi Approbatores. Hic *à nemine mortalium in Jansenismi suspicionem vocatus est*, illic, *ex eo tempore*, id est, à plus-

quàm viginti annis, *non licuit nobis ampliùs evitare vagam illam & temerariam accusationem*. Sed quid de Eupensibus? De his infrà.

Ego ab omnis ferè conditionis viris rogatus, in Tractatu *de Reformatione Regulari* cap. 7. per totum duras istas expressiones, prout par erat, ex variis capitibus castigavi, utpotè injuriosas Prædecessoribus pientissimis, calumniosas Abbatibus innumeris, iisque integerrimis, qui nec Jansenistæ sunt, nec Jansenistæ audiunt, & talem tamen vitam laxissimam superiùs descriptam non ducunt, necnon maximè protervam omnibus, quasi flagitia quæ illic exprimebantur medium essent unicum, ne defunctus Abbas Jansenista esset, aut Jansenista audiret.

Apologista ut hæc portenta à cervice sua declinet, ad inanem cavillationem convertitur, claramque Orthodoxiæ suæ sententiam nititur sic exponere, quasi ejus sensus non fuisset, *ista facere unicum esse remedium*, *ne quis Abbas Jansenista vocitetur: sed tantùm dixit de seipso, quòd pro se non videret aliud medium evadendi invidiosum nomen Jansenista*, inquit pag. 122. Quasi verò aliud medium opportunum fuisset ipsi, aliud aliis, in causa, & casu communi.

Examinemus autem, an hæc evasio concludat. Supponebatur, quòd Abbas Joannes non tantùm esset de Jansenismo suspectus, verùm etiam quod mundus talem *de ipso sententiam* formasset. Erant ejus verba in Orthodoxia pag. 6. Neque simpliciter dixerat, se debere priùs mutare pristinam vivendi rationem, ne pergeret Jansenista dici, prout Apologia nunc explicat pag. 122. Hoc enim erat verissimum: mutanda erat vitæ ratio, aut nihil agebatur. Sed insuper addiderat, novam vivendi rationem, quam describebat, tenendam fore, ne ampliùs Jansenista esset, & ne Jansenista audiret: verba fuerunt limpidissima, fueruntque mox relata, *ne ampliùs essem aut audirem Jansenista*, *omninò oportere*, *ut rhedâ veherer quadrijugâ* &c. Non negabat se Jansenistam esse; sed hæc dicebat facienda, *ne* AMPLIUS *esset*.

Hæc duo conjunxit, *esse* aut *audire*. Non tantùm dixit, *ne audirem*, sed etiam addidit, *ne essem*. Ad pœnam libri, ùt dicimus. Censuit ergò quòd vita flagitiosa, quam recensebat, isti Jansenismo, de quo loquebatur, sic esset contraria, ut illa sola medium unicum foret, ne ampliùs esset aut audiret Jansenista. Censuit, inquam, vitam quam describebat, ita Jansenismo repugnare, ut ii soli Jansenistæ non sint, qui eam sectantur, & consequenter quòd talem vitam ducant Abbates quicumque Jansenistæ non sunt. Ex abundantia cordis os ejus locutum fuit.

Meritò ergò exclamavi, *O prodigia* ! *O portenta* ! Nihil hìc explicandum venit aut excusandum, sed revocandum. Error est manifestus, nullâ tergiversatione palliandus.

Apologista verò non ferens quòd in justa Prælatorum mihi notissimorum, qui Jansenistæ non sunt, elogia proruperim, descendit ad recriminationem, quam per modum Reflexionum adfert pag. 127. Quæcumque verò ibidem adducit, fundantur in novis corruptionibus textuum, à quibus videtur non posse cohiberi. Tristis conditio! Ecce enim pag. 128. truncat duas periodos ex dicto meo tractatu *de Reformatione Regulari* defloratas. Ego ibidem pag. 46. & 47. ex una parte commendaveram humilitatem, ex altera parte explicaveram Monasteriorum splendorem, dixeramque, *quædam valent ut commendetur humilitas, alia conducunt ne regendi frangatur authoritas.*

Hæc autem verba supprimit, & quasi de iis solis egissem quæ valent ad splendorem, truncat quæ de humilitate addidi, ac demum hæc mea verba subnectit, *in his omnibus attendenda est prima institutio & sensus Ecclesiæ Christum post Resurrectionem suam cum gloria regnantem repræsentantis. Orbis Monarchæ instar Regis Tarsis & insulæ munera obtulerunt, ut Ecclesiæ Prælati cum alicujus Majestatis fulgore procederent, & ut Christus Deus à Judæis contemptus in cultorum suorum Prælatis honoraretur.* Pag. 128. Hîc sistit, omittitque verba immediatè sequentia: *largiti sunt ipsis non fastum aut luxum, sed gloriam & potestatem.*

Post hasce corruptiones, ad ironias & sarcasmos conversus, ita paratragœdiat: *Beasti mundum, Doctor mystice, tuâ hâc anagogicâ spiritualitate, & quidem ultrà quàm primâ fronte apprehendatur. Nam mihi quidem videtur, ex ea si admittenda sit, sequi primò, quòd idem etiam dicendum sit de divitiis & mensarum lautitiis, cæterisque voluptatibus tum animi tum corporis, modò ne sint ex genere suo illicitæ. Cur enim minoris meriti sit, per immensas opes terrenas magno studio congregatas repræsentare divitias regni Christi, & per exquisitas ciborum & liquorum delitias, & per omnia oblectamenta, quæ sibi procurare potest humana cupiditas, per maximas opes, repræsentare delicias & voluptates æternas Christi, quam per vestium, ædificiorum, supellectilium, rhedarum, famulitiorum splendorem repræsentare gloriam regni Christi?*

Hæc esse de Extravagantibus, quis non videat? Est modus in rebus, quemadmodum in præfato Tractatu latiùs ostendi. *Intentio judicat omnes,* dixi: Et infrà: *Tam fuit laudatus Salomon in gloria sua, quàm vituperati Principes gentiles, qui in curribus & equis luxuriabantur.*

Perrexi: *Ad hospitalitatem quod attinet, quis audeat damnare quam Apostolum videmus commendare. Pia est frugalitas, dum exercetur ex pio fine: si autem intercedat vilitas & avaritia, meritò deridetur. Non tantùm Christus legitur jejunâsse in Deserto, sed etiam Sponsos recreâsse in convivio: & cùm vinum deesset, miraculo supplevit quod Architriclini calculo defecit. Luxus pro-*

hibetur & excessus. Nimia verò tenacitas, seu studiosa rapacitas potiùs quàm parcitas, ubi bona Prælatis ad exercendam quoque hospitalitatem concessa sunt, non minùs reprobatur. In his omnibus attendenda est prima institutio, & sensus Ecclesia Christum post Resurrectionem suam cum gloria regnantem repræsentantis.

Absit ergò ut lautitias & voluptates, & humanæ cupiditatis delicias, prout malè infert, commendaverim; ut taceam quòd homo ad rigores verbales pronus sibi contradicat, dum *omnia oblectamenta quæ sibi procurare potest humana cupiditas*, ex intolerabili laxitate confundit cum deliciis tum animi, tum corporis, *quæ non sint ex genere suo illicita*. Sic homines isti in contraria currunt.

QUÆSTIO TERTIA.

De justo elogio Reverendissimi quondam Rodensis Abbatis Petri Vondersteeg.

TAm justum Reverendissimi D. PETRI VONDERSTEEG Monasterii Rodensis Abbatis XXXIII. elogium in Tractatu *de Reformatione Regulari* toto Capite septimo fecimus, ut plausus publicus & gratiarum actiones debeant sufficere, nec opus sit respondere ad Apologiæ caput 12. Nec ad illius ibidem Apollines & Thersites, nec ad ejus pelvim, quam pag. 154. postulat, ut stomachum evacuet, nec ad hujusmodi quisquilias, quæ nullum responsum merentur. Conferatur Caput Capiti. Idem dicendum de Capite ejus 13., ubi de defuncto Abbate Joanne Bock extra oleas currit: *extra oleas*, dico, idque ob validas & meditatas rationes.

Unum non capio, quomodò Apologista ut ampliores videatur Abbatis *Vondersteeg* laudes pangere, pag 161. dicat, *cujus obitum, quoniam pietatis & ædificationis plenus est, ex fastis nostris, ut ibidem descriptus est, totidem verbis hic referre juvat.* Hæc ipse ut persuadeat Lectori, quòd firmiora extent in antiquis Fastis, à triginta circiter annorum curriculo exaratis, encomia, quàm quæ nos, ex iis, quæ ad notitiam pervenerant nostram, bonis animis descripseramus, cùm tamen legenti pateat majora nos cum veritate in præclari Abbatis memoriam, quàm quæ in assertis Fastis istis continentur, præconizâsse; nec constet narrationem quam adfert verè in iisdem Fastis contineri, quod examinandum superest, ut taceam virum emeritum multò plura, quàm quæ illic recensentur, promeruisse.

QUÆSTIO QUARTA.

De Hypocritis.

NOn volo dissimulare, sed ingenuè confiteri quod res est: Aversionem numquam habui patheticam magis, quàm ab Hypocritis. Non mihi satis est dicere, *nolite fieri sicut Hypocritæ tristes*; & item, *hilarem enim datorem diligit Deus*, & similia. Sed insuper fallax hominum genus odi quodammodò cane pejus & angue. Quinimò si per me staret, jam dudum omnes stlerterent in medio mari: sed nempe in Insula quadam, ubi non submergerentur. Id ego antipathiam existimo. Quid dicam? quilibet patitur suos manes.

Ad Apologistam verò quod attinet, numquam eum videram in Templo vel alibi orantem, numquam inquisiveram, numquam audiveram. Agebam de Hypocritis in genere mundo notis, nostrâ quidem ætate grassantibus, verumtamen omni olim Nationi invisis, etiam Gentilibus, quemadmodum vel ex solo Poëta Lyrico Horatio liquet, qui solitam Hypocritæ describens præsumptionem sese extendentem usque ad aras, audentemque à Dea Laverna in Templo poscere donum fallendi cum ementita sanctitudinis fama conjunctum, ipsum Hypocritam introducit his verbis orantem,

Pulchra Laverna,
Da mihi fallere, da justum sanctumque videri.

Hoc sensu ego inimicus affectationum externarum, quæ rarò vel numquam cum vera pietate consentiunt, plura lætus de hilari Abbatis *Petri Vondersteeg* virtute, ac de sincero illius candore intellexeram, dixeramque pag. 42. *Ah quid dixisset, si conspexisset illos sanctulos nostri temporis, qui ut videantur ab hominibus, semiflexos singultus edunt, pallidas suas mentes affectatâ vultûs dejectione manifestant, & ut fucum faciant populo, revolutam unius oculi pupillam Sagittariorum instar in Cœlum distringunt, & tamquam rapti extra se, mandibula movent, & labiis gesticulantur fere (ut non-nemo per justum risum exprimebat) sicut Simiæ quæ masticant smigma Hispanicum. O fascinatio!*

Ad hæc dicta bonus Apologista pessimè irascitur. Irata verba sesquipedalia, quæ nollem forcipe tangere, vide pag. 156. Tum posteà producit textus quosdam sincerissimorum Patrum S. Gregorii Turonensis, S. Joannis Climaci & S. Hieronymi, quibus tamen scitur, quantùm Hypocrisis displicuerit. Hypocrisim enim perstrinxi, non lachryman-

tem

tem pietatem. At nihilominùs Apologista me vexat. *Sed dic, quæso*, (nota bene, me interrogat) *quinam sint isti sanctuli nostri temporis, qui pallidas suas mentes affectatâ vultûs dejectione manifestant*, & *reliqua quæ subtexuisti faciunt, ut fucum faciant Populo?* Pag. 156.

Ad S. Hieronymum provocâsti, ad S. Hieronymum ibis. En verba ejus: *Dum sine nomine culpantur vitia, qui irascitur, accusator est Sui.*

QUÆSTIO QUINTA.

De iis quæ Apologista jubet credi de sua ad Rodense Monasterium vocatione, necnon an & quo sensu fuerit Gummari Huygens *Discipulus?*

IN Tractatu *de Reformatione Regulari* pag. 46. dixeram, quòd statim post defuncti Abbatis mortem venerint plures successivè Lectores, quos constabat esse noti *Gummari Huygens* Discipulos. Hos & nominavi, *Buyens, Hocqueux, Cornelissen, Beauverre, & Jessen.* Omisi autem qui secuti sunt *D. Wilhelmus Wildt*, & *Pater Norbertus d'Elbecque*. Et pag. 40. expressi Lectorem ultimum *D. Nicolaum Heyendal*, tamquam pariter noti *Gummari Huygens* Discipulum.

De præfatis prioribus Lectoribus quinque Apologista altùm tacet, & de se solo solicitus, negat se *Gummari Huygens* Discipulum fuisse, utpote qui Lovanii studuerit Juri. Non negat tamen se cohabitâsse Juris utriusque Doctori Guilielmo Blanche, qui quantùm cum Doctore Gummaro Huygens contesseratus fuerit, nemo Lovanii ignorat.

Fatetur etiam, aliquam se rebus Theologicis operam dedisse. En verba pag. 174. *Theologorum Lectionibus rarò interfui, & si quid operæ aut studii Lovanii in Theologia collocârim, hoc omninò privatim contigit.* Ad laudem ejus addunt alii, mirum, magnumque fuisse, quòd incredibiliter potuerit in studiis tunc profecisse, utpotè continuè impeditus obsequiis, quæ præfato Doctori Magistro suo gnaviter exhibebat, dum ei in non contemnenda qualitate famuli humiliter serviebat.

Cùm verò neget, & perneget se fuisse Discipulum *Gummari Huygens*, examinemus an non sit dicendus Discipulus, qui Doctorem aliquem suspicit ùt Orthodoxum, ùt virum optimum, ùt Theologum nemini secundum. Hæc, nisi equidem fallar, signa Magisterii adæquata. Hoc sensu dicimus alios esse Discipulos Sanctorum Augustini, & Thomæ, alios Jansenii.

Verba autem Apologistæ sunt: *Dominum Huygens semper ùt Doctorem*

Orthodoxum, ut virum optimum, ut Theologum nemini in Academia Lovaniensi secundum suspexi, pag. 174. Si talis expressio non redoleat discipulatum, tum utique nescio quisnam in rebus odor sit.

Pergit ibidem: *sed in verba non juravi*. Fatebor equidem, *Gummari Huygens* verba in *R. D. Nicolai Heyendal* dictatis non inveni, sed sensum. Addit: *Et ad eligendum vitæ statum ipso consiliario, aut directore usus non fui*. Neque hoc dixi. Multa siquidem eum constat fecisse per alios.

Ne verò sim justo longior, lectorem ad Apologiam remitto, ubi longis logis suam ad Rodense Monasterium vocationem, introductionem, Professionemque magnificat. Tantæ scilicet molis erat, post varios casus & tot discrimina rerum tuam, ô Apologista! in hoc mari naviculam ex Veneto littore ad portum Rodensem deducere: Ibi te prædicanda modestia, ibi te commendanda sobrietas, ibi liberanda veritas expectabat.

Aliud me movet. In Apologia de Abbate defuncto dicis, *ipse & non alius primum Theologiæ Lectorem ex iis quos tu discipulos Eximii D. Gummari Huygens vocas, Lovanio petiit & impetravit, quem cùm venturum didicisset ex litteris in ipso lecto mortis acceptis eique prælectis, magnam inde lætitiam, & consolationem hausit*. Sunt tua verba pag. 153. Hæc autem negantur, neque credentur nisi vel litteras istas exhibeas, vel testes adferas omni exceptione majores, quandoquidem constet venerandum Abbatem *Petrum Vonderssteeg* in lectorem assumpsisse cùm viveret, præclarum Patrem *N. Heyendal*, cognominem tuum, sacri Ordinis Patrum Prædicatorum Conventûs Aquensis, Thomistam oppido Catholicum, qui & post dicti Abbatis mortem notabili tempore lectionem Theologicam, sine ullius erroris suspicione continuavit, donec ex novis consiliis Lovanio vocatus fuit Lector *Buyens*, quem nec ignoras, nec negas *Gummari Huygens* discipulum fuisse. Secundus fuit *Hocqueux*, tertius *Cornelissen*, quartus *Beauverre*, quintus *Jessen*, &c. Tu ultimus. Tu fuisti illorum, hi *Gummari Huygens*. Si non fueris hujus Gummari filius immediatus; mediantibus tamen his formatoribus tuis fuisti quodammodò illius Nepos. Hæc tua genealogia Doctrinalis. Tua te Dictata produnt: Frustra negabis. Quin etiam prodit te nupera *Defensio* in qua ad notos fines paginâ 18. & seqq ex *Gummaro Huygens* sustines exoticam propositionem, *quòd Dei præcepta de fide spe & Caritate posse adimplêre sit natura, sed reipsa adimplêre sit gratia*. Hanc ipse tradiderat in quadam Thesi Lovanii die 5. Februarii 1683 aliquot mensibus antequam Lovanium desereres. Convenit autem ut intelligas quidnam Eminentissimus Cardinalis de Aguirre tomo 3. Theologiæ Anselmi disp. 132. art. 9. censuerit. *Refelluntur urgenter Adversarii, & in iis Gummarus Huygens, qui die 5. Feb. 1683. Thesi 15. ait:* " *Gene-*

„raliter dicendum, quòd Dei præcepta, v. g. de fide, spe & Charitate posse ad-
„implere sit natura, sed reipsa adimplere sit Gratia „ In oppositum enim est, quod prædictus Doctor vel intelligit to posse de potestate solùm remota, & sic evertit liberum arbitrium, ut mox arguebamus, eodem modo quo Calvinus illud è medio abstulit: vel illud intelligit de potestate proxima, ad eos actus creandi, seclusâ Gratiâ; & sic impingit in Canonem 2. sess. sexta laudati Concilii Tridentini.... ubi ipsum posse damnatur adversus Pelagium, ejusque reliquias..... quapropter Adversariis hinc imminet scylla, hinc charibdis.

QUESTIO SEXTA.

An Apologista sufficienter se purgaverit circa Epistolam famosam contra Illustrissimum D. Nuncium Apostolicum Coloniensem, nunc sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem Eminentissimum?

UT nam equidem de hac re tandem Apologista tacuisset; vel utinam altem rem quæ satis publica est, expoluisset, prout non nescit omnibus notam esse!

Unicum adversùs me urget, quòd in Tractatu *de Reformatione Regulari* dixerim, *R D. Nicolaum Heyendal Epistolæ famosæ de rebus ab illustrissimo D. Nuncio Coloniensi gestis in Visitatione Aquensi forsan authorem esse.* Apol. pag. 204.

Atrox calumnia est, inquit ibidem. Audit, interjectionem *forsan* non excusare, & pergit: *quòd plures te de hac re monuerint, verum esse potest. Nequaquam propterea tibi dicere licuit in scripto publico, quod ego* FORSAN *epistolam illam composuerim, & quòd plures monuerint, quod ego illius satyræ author forem*, inquit ibid.

Numquid crederemus, delicatulum hunc honoris zelatorem nihil forsan aliis objicere nisi post inspectionem ocularem? Quid autem minus potui in re tam publica scribere, quam clamosa insinuatio confirmabat?

Ecce enim verò quid insuper confiteatur. Rumoris hujus authorem fatetur quemdam ex suis. Sed verum authorem non nominat, immò fingit alium, cùm tamen nomen ejus sit publicè notum. Audiamus tamen. *Suscitaverat inimicus religiosæ charitatis inter me & quemdam fratrem meum... eousque processerat acerbitatis; ut ipse..... in amaritudine animi crimen illud & mihi in faciem objiceret,* [audio tamen quod non sic objecerit, sed in præsentia defuncti Abbatis caritativè monuerit] *& aliis nonnullis de me narraret.* Pag. 205. Multum est quòd me authorem non dicat.

Asserit prætereà pag. 210. *Ratio autem scribendi fuit, quòd scirem calumniosi de me rumoris Aquisgrani jam* INITIUM *factum esse à quodam non amico, homine seculari, à quo eodem me etiam apud Celsissimum Dominum Nancium, ut authorem supradicti Libelli scripto denuntiatum fuisse, non dubiâ relatione comperi.*

Pergit ibidem: *Ille igitur quod de primo calumniæ fonte hauserat, in aures alterius secum apud Thermas Aquenses obambulantis effudit, auscultante Corycæo [qui utinam socium habuisset] à quo cùm ego, quod audiverat, continuò rescivissem, non dubitabam quin mendax rumor brevì per omnium ora volaturus esset.*

Non dubitabas ergò, quin rumor hic, quem mendacem vocas, brevì per omnium ora volaturus esset. Dic nunc, amabo te, quidnam in istis circumstantiis feceris, ut rumor ille, qui toto regno Aquisgranensi percrebuerat, non prævaleret? Nuntia nobis quid egeris, ut Minister Apostolicus & ego servus ejus non crederemus? Mox fatebaris, non quòd unus, sed plures me de hac re monuerint. Paulò pòst agnoscebas, unum ex tuis Confratribus illud tibi objecisse in faciem. Prætereà declaras te scire Te ab aliquo seculari de hoc crimine apud Celsissimum D. Nuncium *scripto denuntiatum fuisse*. Denique conquereris, sed & hoc ipso fateris, quod à tuo Corycæo, id est, Exploratore, sive curioso rerum novarum indagatore statim intellexeris, id sic fuisse apud Thermas Aquenses relatum, ut non dubitaveris quin rumor brevì per omnium ora volaturus esset.

Plura dicam. Et ego sciebam, quòd tu ista omnia, & multò plura tunc scires, & tunc nihilominùs altùm taceres. Nunc per parenthesim de tuo Corycæo dicere (qui utinam socium habuisset) deridiculum putes. Si tu non rides, ridebunt tamen quibus est sensus communis. Quidnam, obsecro, indigebas teste, ubi rem sciebas anteà scripto denuntiatam fuisse coram Judice? An verò teste opus erat, ut pleniùs intelligeres id quod tibi tuus Confrater, ùt asseris, objecerat in faciem? Et ad hæc tot & tanta scrupulosis delectari silentiis? Dic nunc sodes, quid minùs potui, immò quid minùs in istis circumstantiis scribere debui, quàm te forsan illius satyræ authorem esse?

In memoriam revoca, quòd tibi prætereà objecerim, famosum Ægidium de Witte [virum nôsti] in quodam suo Libello Belgico, cui titulus, *Onwethentheden, misgrepen, en feilen &c.*, satis clarè insinuâsse, vos illius satyræ authores esse. Vide *de Reformatione Regulari* pag. 4. Ille quidem Ultrajecti degit, ubi satyra impressa dicitur: sed similium anonymorum veri authores solent peregrè magis noti esse quàm in vicinia,

præsertim apud amicos, qualis est hic, qui olim per dies aliquot in Abbatia Rodensi moratus, mansisset commensalis, nisi meliora cujusdam Abbatiam amantis consilia obstitissent. Cur autem ad hoc non respondes?

Fictitium rumoris authorem impetis, Confratrem illum tuum qui hoc tibi in faciem objecisset. Cur autem de illo taces, quem tota hæc Regio novit rem primò revelâsse? Vir omnibus notus est *R. D. Wilhelmus Cuperus* quondam Pastor in Lommersheim, quem honoris causâ nomino. *Honoris* dico, quia omnes ei hactenus credunt.

Si vis, Apologista, pro concupita tua innocentia aliquid solidi peragere, quod Mundus suscipiat, debes viâ juris efficere ut præfatus *R. D. Wilhelmus Cuperus* coram Judice competenti & indifferenti sincerè & sub juramento, per verbum *est*, & *non est*, respondeat ad interrogatoria, quæ sunt formata ex depositione signatâ *A Rolduc le 22. Janvier 1711*, & posteà depositâ coram duobus testibus. Originale habeo ad manum.

Hæc unica ratio est succidendi arborem ad radicem. Hoc nisi feceris, Apologista, Tu qui ab initio scivisti, & usque inpræsentiarum dissimulas, quòd rem hanc dicaris perpetrâsse per manus R. D. Wilhelmi Cuperi, nihil ages. Res autem peragenda coram Judice legitimo, indifferenti, coram quo, visis responsis præfati D. Wilhelmi Cuperi, producentur testes alii super iisdem articulis interrogandi & confrontandi.

Quòd enim tuâ sponte, priusquam actio contra te fuisset instituta, juraveris in propria causa, infirmat potiùs quàm purget. Quarè prudentiùs fecisses, si hoc tuum juramentum pag. 207. non impressisses. Nihil enim te juvat Cap. ult. ✕ de *jurejurando*, quod citas pag. 206. Capitulum enim in verbis, *si Actor omninò à probatione defecerit*, supponit actionem fuisse institutam atque conclusam, & nihil probatum fuisse. In verbis autem, quæ omittis, *si Judex*, manifestè insinuat, quòd non sit accusati juramentum offerre, vel petere, sed Judicis id deferre, quando actione finitâ præsumptio stat pro Reo. Tunc enim juramentum confirmat, non probat. Et quidem excipitur Actio famosa, qualis fuisset tua. Verba enim ejusdem Capituli sunt: *Nec liceat convento famosâ actione deferre hujusmodi jusjurandum.*

Eadem est sententia Riccii & Pellizzarii, quos pag. 206. nominas.

Exemplum S. Leonis Papæ III qui in propria causa juravit, prout ex Baronio pag. 208. adducis, nihil tibi prorsus favet. Nam Pontifex primæ Sedis, quæ ex speciali Dei Privilegio à nemine judicatur, fuerat iniquas criminationes passus à malignis, iisque præpopentibus. Sancto Pontifici Christianorum omnium Superiori licuit, quod cunctis Subditis per sacros Canones prohibetur.

Nec extat Scriptor tam laxæ vitæ, qui auderet aliter docere seu scribere. Ipse Doctor Zegerus Bernardus van Espen, cujus equidem non audebis recusare authoritatem propter rationes tam mihi quam tibi notas, tradit hoc tamquam indubitatum. En verba ejus: *Juramentum hoc in vicem probationis non esse deferendum, cùm criminaliter agitur; imo vel civiliter ex actione famosa, quâ Reus damnatus redderetur infamis, tradunt communiter Doctores ad Cap ult 𝔛 de jurejurando, ubi dicit Pontifex.* Nec liceat convento famosâ actione deferre hujusmodi juramentum. *Rationem illius allegat Damhouderus in praxi rerum civilium cap.* 179 *n.* 9., *ne videlicet Reo detur occasio pejerandi, ut scilicet infamiam evadat.* Van Espen de Jure Ecclesiastico Universo parte 3. tit. 7. c. 8. n. 39.

Et pergit ibidem n. 40. *Sicuti ob periculum perjurii juramentum hoc deferendum non est in causa criminali aut famosa; ita nec in causa civili, ardua, & notabili, quemadmodum post Glossam ad legem 31. ff. de jurejurando notant Doctores; nemo enim non videt periculum esse pejerandi, ubi de re ardua & notabili perdenda aut lucranda agitur.*

Quidnam ergò de tuo, mi Apologista, juramento quod jactas, credendum in praxi putes? En tibi rursus verba noti Doctoris van Espen, parte 3 tit. 8. c. 4. n 58 *Quin & Judices meritò in indicenda hac purgatione circumspecti esse debent, ne eam facile indicendo sacrilegii & perjurii participes efficiantur.*

Etenim cum homines, qui magnorum criminum sunt Rei, ausi fuerint propter utilitatem aut voluptatem, quas in criminibus quæsiverunt, graviter impingere in legem æternam ejusmodi crimina prohibentem, magnopere timendum est, ne ut supplicium, & infamiam, quæ ob crimina commissa imminent, evadant, audeant pejerare.

Facile est hinc videre, quàm sæpè sacrilegum sit ab ejusmodi criminosis expetere, ut juramento se purgent, cùm, si non certum, sit saltem admodùm verosimile, quòd pejerabunt, si crimen reverâ commiserint. TEMERARIUM PROINDE EST CREDERE, QUOD TALE CRIMEN NON COMMISERINT, QUIA JURANT SE NON COMMISISSE.

Tu vis, Apologista, ut contra tot argumenta superiùs adducta, credam quòd satyram non scripseris, quia jurâsti te non scripsisse. Ego autem nolo esse temerarius, & nolunt multi mecum.

QUÆSTIO SEPTIMA.

De rebus Eupensibus, in quarum causa Me Apologista delegit Arbitrum & statuit Judicem.

INfandum Apologista jubet renovare dolorem, ùt Vicariatum Eupensem, in ipso primùm, Eupensibus invitis, transformatum in Pastoratum dimittere jussus fuerit per sententiam peremptoriam Serenissimi Electoris Coloniensis, quâ Principis-Episcopi Leodiensis, postquam per annum & medium fuerat auditus, postquam ad primum decretum promiserat emendationem, & se Eupensibus exhibere gratum, à qua sententia numquam appellavit; in solatium tamen causæ perditæ, primò Lectoris ac posteà Prioris officium domesticum obtinuit à defuncto Abbate *Joanne Bock*, quem Apologista post immensas laudes ei cùm viveret, & obesse ac prodesse posset, impensas, nunc vocat *virum simplicem ac rectum, & de aliorum mente ex sua judicantem.* Defensio pag. 1.

Apologista nititur persuadere, hanc sibi tempestatem motam suisse, quia, dimissis Patribus Capucinis, munus Catechismi per seipsum adimplere voluit. *Et hoc est magnum meum & unicum crimen, quo Eupensium Rectores tanto opere contra me exasperavi*, inquit pag. 185. Credite Posteri.

Sed & hoc nihil ad me. Optâssem autem, ut pag. 186. omisisset verba sequentia: *Igitur hoc unicum fuit crimen meum, quòd muneri Pastorali per me ipsum catechizandi satisfecerim. Ecce provoco òmnes Eupenses etiam nunc, ut aliud quoddam meum delictum proferant, idque tibi, quidquid illud sit, contra me suppeditent.*

Cur enim solemnis provocator, si Eupenses reconvenire decreverat, debuit etiam illos ad me mittere, qui nec eorum Judex sum, nec Apologistæ, nec eligi in Arbitrum peto?

Delata sunt interim mihi gravamina antiqua sexaginta-quinque bene numerata, prout anno 1695. & 1696. in utraque famosæ litis instantia fuerunt deducta, cum variis annexis, ex quibus trigesimum primum incipit à *R. D. Nicolao Heyendal*. Quid hic agam? Qui detulerunt, relata Apologiæ verba objiciunt, & instant, ut cùm diffidaverit, faciam quod exigit. Si fecero, iterùm ad clamores ibitur; si non fecero autem, equidem ad clamores.

In hac perplexitate tutissimum arbitror, Apologistæ publicè provocanti simpliciter referre, quidnam ad dicta ejus varii pro parte adversa respondeant: illius erit facere prout consilii. Distinctionis causâ procedam per Paragraphos.

§. 1.

An præcipua Eupensis controversiæ pars fuerit, quòd Apologista, dimissis Patribus Capucinis, Catechismum voluerit exercere per se?

IN Belgio notum est, quòd plures Parochi palàm in Jansenistarum & Rigoristarum placita euntes, tentaverint excludere, & in variis locis excluserint Regulares tam ab excipiendis confessionibus, quàm prædicando verbo Dei, & catechizando in Ecclesiis Parochialibus, tum ne Regulares isti communem ibidem doctrinam traderent, tum ut ipsi Parochi suam novam promoverent. Hæc autem tentamina processisse ex concordibus consiliis vel ex eo patet, quòd omnes hi Novatores prætexerint causam eandem, nimirùm Pastoris esse, illa præstare per se, nec opus esse extraneis, quando per se vult & potest. Innumeræ desuper coram utriusque fori Tribunalibus motæ fuêre lites, Romam usque deductæ, prout Belgis notum est.

Agnoscit porrò Apologista, quòd Patres Capucini in Sacello sive Ecclesiâ Eupensi, consueverant Catechismum facere, & quòd ipse hanc spartam volens exercere per se, illos dimiserit, pergitque de Rectoribus Eupensibus: *Hi igitur adjunctis sibi quibusdam Optimatibus, RR. Patrum Capucinorum causam totis viribus defendendam susceperunt, & tale quidem adversandi initium fecerunt, ut mihi non esset integrum cedere. Nam continuò in supremo Brabantiæ Senatu, primò quidem manutenentiam pro Patribus Capucinis, deinde etiam adversùs me interdictionem, ne ipse catechizarem, nescio quibus allegatis, impetrârunt, & hâc ratione mihi necessitatem indispensabilem injecerunt defendendi jus Pastorale.* Apolog. pag. 185.

§. 2.

Responsio pro Eupensibus.

EUpenses casum enarrant omninò aliter, & non Eupenses, sed Apologistam ad brachium seculare recurrisse contendunt:

Ita enim loquuntur art. 61. *Que ledit Heyendal a dit qu'il lui faisoit mal & peine que les ames se seduisoient par la Doctrine & Catechisme des Peres Capucins.*

Art. 62. *Que ledit Heyendal a dit que la raison pour laquelle il vouloit empêcher*

empêcher les PP. Capucins de catechiser étoit celle seule, que leur Doctrine étoit contraire à la sienne.

Art. 34. *Que ledit Heyendal immediatement après déchassa les Capucins hors de l'Eglise, où ils avoient fait le Catechisme depuis leur admission, les Dimanches depuis une heure jusques à deux après-midi, avec contentement de tous les Mannans.*

Art. 35. *Que Monseigneur l'Archidiacre de Condroz ayant entendu que ledit Heyendal se qualifioit pour Curé d'Eupen sans qu'il avoit fait conster de la collation, & sans qu'il étoit institué ni investi, lui ordonna le 23. Avril 1695. de ne se qualifier pour Curé & de n'empêcher les Capucins dans leur possession de catechiser.*

Art. 36. *Que cet ordre étant affiché à la porte de l'Eglise, ledit Heyendal fut assez temeraire de le dechirer, le 24. Avril 1695., & le fouller à ses pieds.*

Art. 37. *Que Monseigneur ledit Archidiacre ayant réiteré ses ordres, sous peine de suspension* à Divinis; *ledit Heyendal n'a jamais voulu obeïr, ouï, même étant suspendu* à Divinis, *il a celebré, prêché, & fait les autres exercices Divins comme devant.*

Art. 38. *Que ledit Heyendal au lieu de donner parition aux Decrets dudit Archidiacre, a imploré* brachium seculare, *& a fait agir au Souverain Conseil de Brabant pour faire casser lesdites Ordonnances dudit Monseigneur l'Archidiacre.*

Art. 39. *Que ledit Heyendal a dit publiquement en Chaire, qu'il ne dependoit pas de Monseigneur l'Archidiacre de Liége, mais qu'il étoit sujet du Roi d'Espagne, & que ceux de Bruxelles feroient bien casser les Ordonnances de Liége.*

Art. 46. *Que ledit Heyendal avant d'être admis, a promis & formellement stipulé qu'il laisseroit ladite Communauté en paix, & qu'il permettroit que les Capucins catechiseroient dans l'Eglise, ce que nonobstant il a toûjours refusé de faire*

Art. 48. *Que ledit Heyendal est même venu si avant que de faire decreter une amende de six florins, contre tous ceux & celles qui frequenteroient le Catechisme desdits Peres Capucins, pour payement de laquelle ils ont été sommez, & auroient été executez, si Son Altesse Electorale de Baviére & Monseigneur ledit Grand-Vicaire n'auroient pas pourveu.*

Art. 49. *Hors tout quoi sont resultez des horribles scandales, pas seulement dans Eupen, qui est rempli des Huguenots, mais dans tout le Pays allentour.*

Hæc toto Cœlo differunt: Audi ergo alteram partem.

§. 3.

An Eupenses coram Administratore Leodiensi contra Apologistam petiverint probare quæ non potuerint?

SEcundò Apologista dicit pag. 186. *Ad postremum etiam Coadministrator Apostolicus & Vicarius Leodiensis ex commissione Serenissimi Ducis Bavariæ, cum summa potestate difficultates terminandi per sententiam, venit in Eupen, ubi instituto judicio, adversarii admitti petierunt ad probandum contra me, in-primis duodecim articulos accusationum calumniosarum, quos suo Libello supplici ad Ducem Bavariæ inseruerant; deinde alios quadraginta quatuor, quos prætermissis illis duodecim Coadministratori adversum me obtulerunt. Quòd cum ipsis concessum fuisset*, sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum. *Nam ne unicum quidem, qui me gravaret probare potuerunt.*

§. 4.

Responsio pro Eupensibus, quòd sufficientia probaverint coram Pastore de Lonzen, ad hoc per Administratorem Leodiensem commisso in partibus, & quòd Apologista victus & confessus petiverit concordiam, ab Eupensibus juste recusatam.

PRo Eupensibus reproducitur Libellus supplex quem tunc obtulerunt.

„ A Monseigneur le Grand Vicaire & Coadministrateur de l'Evêché „ de Liége &c. Remontrent en toute soumission les Bourguemaîtres „ & Commis d'Eupen au Pays de Limbourg Diocese de Liége, qu'ayant „ remontré à S. A. E. de Baviére, representant Sa Majesté Catholique „ aux Pays-Bas, les raisons qu'ils ont de ne pas vouloir admettre pour „ leur Curé le Religieux Nicolas Heyendal, que Monsieur l'Abbé de „ Rolducq leur a envoié. Cette Requête a été remise à V. S. Illustris- „ sime, afin qu'elle en pourroit disposer ainsi qu'il convient pour la „ meilleure direction & salut des ames.

„ A la suite de quoi Elle a été servie d'entendre ledit Curé sur le „ contenu d'icelle Requête, lequel, à ce que l'on a appris, a aussi servi „ de Réponse, & a desuite, au lieu de faire insinuer ledit Ecrit aux Re- „ montrans, trouvé voye de disposer Votre Seigneurie, à limiter jour „ pour le 20. du mois passé, & par-après pour le premier Lundi de

„ Carême, afin d'accorder cette matiére. „ (Res ergò non in Eupen perſonaliter, prout Apologiſta ſuprà dixit, ſed Leodii, per Libellos & Reſponſiones ſcripto acta fuit, & Apologiſta inſtitit cauſam diſponi ad concordiam.)

„ Laquelle n'étant de ſa nature, ſous très-humble correction, diſpo- „ ſée à un accommodement, ont cependant les Remontrans comparu, „ pour donner parition aux ordres de Votre Seigneurie audit jour limi- „ té, & ont remontré & verifié clairement tant par les Declarations de „ tous les habitans dudit Eupen, que par les Confeſſions dudit Curé- „ même, faites à ladite comparition, leſquelles, par trop à ſa faveur, „ N'ONT PAS ETE' REDIGE'ES EN ECRIT, que la doctrine & conduite „ dudit Curé eſt ſcandaleuſe, de ſorte qu'elle ne peut notoirement pas „ ſervir pour la meilleure direction & ſalut des ames, comme ont auſſi „ declaré tous les Mannans, & conſte par leurs reſolutions ici jointes, „ données en leur Aſſemblée, & dûëment ratifiées pardevant le Reve- „ rend Paſteur de Lonzen (NOTA BENE) authoriſé par Votre Sei- „ gneurie pour cette fin.

„ Et ſi c'étoit pour choſe temporelle, la Communauté n'auroit pas „ fait difficulté d'accepter tout accord que Votre Seigneurie auroit vou- „ lu propoſer; mais dans la matiére en queſtion, il leur eſt impoſſi- „ ble de ſe reſoudre, de prendre pour Curé celui,

„ Dont la doctrine & conduite leur eſt ſuſpecte, & contraire;

„ Qui a fait ſi grandes ruſes, inimitiés & exécutions dans leur Com- „ munauté; qui a été aſſez temeraire que d'accuſer fauſſement & calom- „ nieuſement les Remontrans d'avoir fait boire leurs Mannans avec „ excès, & les menacer de les rehauſſer à la taille, & maltraiter pour „ avoir donné leſdites Declarations;

„ Qui s'eſt opiniatré de ſe conformer aux ordres de ſes Superieurs „ Eccleſiaſtiques;

„ Et s'eſt adreſſé au Juge Seculier pour faire caſſer leurs Ordonnances;

„ Qui n'a jamais diſcontinué d'inſerer dans ſes Prédications, Cate- „ chiſmes & Exhortations publiques & particulieres, des propos & diſ- „ cours choquans, picquans, & mordans contre les uns & les autres, & „ ſur tout contre les Bourguemaîtres & Regens dudit Bourg d'Eupen, „ butant par iceux à ſemer la diſcorde, & d'aliener le petit & commun „ peuple du reſpect qu'ils doivent à leur conduite & gouvernement:

„ Voire même, d'avancer des propoſitions hardies, temeraires & „ ſcandaleuſes.

„ Comme votre Seigneurie a peut connoître dans ladite comparition,

„ par les Confessions dudit Curé, & lesdites déclarations desdits Habi-
„ tans, & pourra voir & connoître par les preuves que l'on prétend de
„ faire ulterieurement en cas de besoin, & pourveu qu'il plaise à votre
„ Seigneurie de regler la chose à cela, & de commettre quelque person-
„ ne d'autorité pour entendre les témoins.

„ Le tout quoi a causé un trouble & scandal si grand dans toute la
„ Communauté, que non seulement le nom de Dieu a été blasphémé
„ par un très-grand nombre de personnes, mais aussi par les Hérétiques,
„ dont ce Bourg est infecté, qui se sont réjoüis, & ont reproché aux Ca-
„ tholiques le peu d'union qu'il y avoit parmi eux, & le peu d'uniformité
„ de leur Doctrine.

„ Parmi tout quoi ledit Curé s'a rendu si odieux, que l'on ne peut pas
„ comprendre comment il a encore la volonté de paroître dans leur Egli-
„ se, puis qu'il peut bien connoître qu'il est impossible de servir Dieu
„ dans une si grande haine commune qu'il y a contre lui, & ce seul mo-
„ tif le devroit obliger à s'excuser de cette fonction Pastorale, s'il y avoit
„ quelque reste de pieté en lui.

„ Si bien que l'on ne peut croire que votre Seigneurie voudroit obli-
„ ger les Remontrans, d'admettre & tenir pour Curé celui dont ils ne
„ peuvent esperer aucun bien, ains au contraire des continuelles revolu-
„ tions dans cette grande Communauté, directement contre les ordres
„ reïterées de Sa Majesté.

„ Cause pourquoi les Remontrans prient très-humblement votre Sei-
„ gneurie, & la conjurent par le zéle qu'Elle a pour la gloire de Dieu
„ & du MAINTIEN DE LA FOY ORTHODOXE, & par celui qu'Elle doit
„ avoir de leur salut, de vouloir apporter un prompt & assuré remede à
„ tant & tant de mauvais exemples & scandales, qui ont affligé jusqu'ici
„ cette pauvre Communauté, mêlée parmi les hérétiques, ce qui, sauve
„ correction, semble ne se pouvoir bonnement faire qu'en éloignant le
„ susdit Pasteur dudit Lieu, attendu qu'il a tellement aigri les Esprits
„ par ses manieres altieres, & façon de faire que dessus, qu'il est impos-
„ sible que le Peuple en reviene, & ne conserve une aliénation contre sa
„ personne, ce qui est d'autant plus préjudiciable à leurs ames, que n'y
„ ayant que ce seul Pasteur dans une Communauté de plus de sept cent
„ menages, plusieurs auroient horreur de recevoir les Sacremens de sa
„ main, même en article de la mort, comme témoignent, & ont témoi-
„ gné plusieurs de ses Paroissiens.

„ Et afin de prévenir à la pernicieuse suite des scandals, qui sont de
„ très-préjudiciable consequence à NOTRE SAINTE FOY, par provision,

„ établir un Prêtre pour faire la fonction Pastorale, pendant le cours de „ cette procedure : quoi faisant, les supplians auront en general & chacun en particulier des obligations immortelles à votre Seigneurie.

§. 5.

An simul stet Administratorem fuisse semper judicem, & informasse Serenissimum Principem, & an informaverit in Apologistæ favorem.

TErtiò Apologista dicit pag. 189. *Obstupuit ad tam tetram malitiam D. Coadministrator, ut meum responsum vidit, & de rei veritate Serenissimum Principem informavit.*

§. 6.

Responsio pro Eupensibus, quasnam partes D. Administrator in hac causa habuerit primò, & quasnam in fine?

ACceptant quidem id quod Apologista de Coadministratore (qui tamquam talis causam incœperat) dicit, *Serenissimum Principum informavit*. Sed addunt quòd quando informavit non fuerit amplius Coadministrator, sed Vicarius Generalis, Principe jam in ætate constituto. Indè inferunt, quòd non igitur dictus Vicarius Generalis, sed Serenissimus Princeps in hac causa fuerit judex Principalis, & ulteriùs concludunt, non esse attendendum, quas forsan inclinationes hic Vicarius Generalis habuerit, sed quamnam Princeps sententiam pronuntiaverit ex Actis, à qua Sententia cùm non fuerit appellatum, sustinent, eam transivisse in rem judicatam.

Quin etiam negant, quod D. Coadministrator in Apologistæ favorem fecerit, id quod Apologista statim asseruit in verbis : *obstupuit ad tam tetram malitiam.* In hunc finem impendunt Serenissimi Principis responsum, quod ad præfatam Vicarii Generalis informationem dedit sequenti tenore: *Nous avons bien receu votre Lettre avec les Declarations y jointes de l'Abbé de Rolduc pour la justification* PRETENDÜE *de Nicolas Heyendal; lesquelles ayant été trouvées en grande partie refutées par les Actes posterieurs de la Communauté d'Eupen, & ensuite de votre* PROPRE SENTIMENT, *donné le 19. May 1696., & les autres faits, dernierement jugez plus capables à exciter de nouvelles inquietudes & troubles, que d'assoupir les présentes; c'est pour-*

quoi nous insistons sur notre première resolution, & voulons absolument, que ledit Heyendal soit revoqué de la Vicairie d'Eupen, tant pour le repos des ames, que pour terminer les differens si scandaleux. Sustinent igitur quòd Vicarius Generalis non obstupuerit in Apologistæ favorem, sed informaverit contra ipsum in verbis: *Et ensuite de votre propre sentiment donné le* 19. *May* 1696.

§. 7.

An Ser. Princeps Elector contra Apologistam tulerit dimissionis sententiam propter solam Eupensium perhorrescentiam.

QUartò, Rem judicatam fuisse Apologista scribit hoc modo: *Itaque Serenissimus Princeps per istas subscriptiones tot capitum familia satis probatam putavit Parochianorum à me perhorrescentiam, & hanc prætensam perhorrescentiam* SUFFICERE *existimavit, ut requiri juberet superiorem meum, ut me revocaret ab illo Pastoratu.* Pag. 191.

§. 8.

Responsio negativa pro Eupensibus.

QUòd Serenissimus Princeps putaverit, assertam perhorrescentiam *sufficere*, Eupenses negant. Negant etiam, quòd jusserit Apologistæ superiorem taliter per Vicarium Generalem requiri. Dicunt apertè, quòd perhorrescentia fuerit non solùm fundata, sed quòd Princeps non putaverit illam solam sufficere, quin imò quòd in suis litteris ad dictum Vicarium Generalem distinctiùs expresserit alias causas, in verbis, *les Documens y joints de l'Abbé de Rolduc pour la justification prétenduë de Nicolas Heyendal, lesquels ayant été trouvés en grande partie refutés par les Actes posterieurs de la Communauté d'Eupen.* Illis accedunt ibidem, *& les autres faits dernierement jugez.* Et tertio loco ponitur præfata perhorrescentia, in verbis: *La nouvelle attestation de l'aversion que la Communauté déclare d'avoir contre ledit Heyendal par* 463. *Chefs de famille.*

Quòd quarti hujus articuli partem secundam tangit, fatentur quidem quòd Princeps usus fuerit his verbis, *Nous avons voulu premiérement avertir l'Abbé & le requerir pour la conservation de sa reputation, & celle de son Monastere de revoquer son Religieux.*

Conqueruntur autem quòd omittantur sequentia: *en quinze jours de temps, comme vous le verrez par la Copie ci-jointe, & en cas qu'il y manquat,*

nous vous ordonnons, que vous suspendiez dans les formes ledit Heyendal de son office, & que vous substituez en sa place un autre Prêtre seculier suffisant & capable.

§. 9.

An defunctus Abbas Rodensis gratis paruerit sententiæ Serenissimi Principis contra Apologistam latæ?

QUintò Apologista dicit pag. 191. *Poterat Reverendissimus D. Abbas hujusmodi Requisitorialibus, salvâ Principis reverentiâ, non deferre, præsertim in Ditione Hispanica, ubi parata erat manutenentia Regia; cum litteræ in cognitâ causâ & contra juris ordinem fuissent sinistrè informato extorta.*

§. 10.

Responsio pro Eupensibus & sententiæ justificatio.

DIcitur pro Eupensibus quòd ex tenore sententiæ per Principem latæ constet, juris ordinem debitè servatum, nec ullius sinistræ informationis locum fuisse, sed adhibita consilia, & quæcumque opportuna, in verbis: *Puis que des gens impartiaux & bien versez dans cette sorte de matiere, approuvent fort nôtre sentiment en cet égard.* Et inde concludunt falsum & injuriosum esse, quod Apologista asserit pag. 188. *Obtinueram per potentem amicum à Serenissimo Principe pollicitationem, quòd me revocari curaturus esset, quamprimum aliquid grave, quod animadversionem mereretur, commissurus essem. Sed quia ego nihil tale committebam, aliquid fingendum erat, ut promissâ gratiâ frui daretur.*

Dicunt prætereà, quòd quæ suprà de *parata manutenentia Regia* dicuntur, sint pura puta jactantia carens veritate, quia Serenissimus Elector Bavariæ tamquam Regius Vicarius, jam providerat per decretum sequentis tenoris, quod Apologistam non latebat.

MAXIMILIEN EMANUEL par la grace de Dieu, &c. Venerable, Cher & bien Amé, la Requête ici jointe nous ayant été présentée par les Habitans de la Communauté d'Eupen au Pays de Limbourg, & ayant remarqué que ledit Lieu est en matiere spirituelle dependant de l'Evêché de Liége, nous vous la remettons, afin que vous puissiez y pourvoir comme vous jugerez convenir pour la meilleure direction & salut des ames. A tant, Venerable, Cher & bien Amé, Dieu vous ait en sa sainte garde. De Bruxelles le 19. de De-

tembre 1695. *Etoit paraphé*, Cox. Vt. *Signé*, M. EMANUEL, & *contresigné*, P. DE RIVANEGRA, *au Vicaire General de l'Evêché de Liége.* Post hæc non restabat spes manutenentiæ.

§. 11.

An Administrator Apologistæ dederit declarationem loco sententiæ absolutoriæ?

SExtò Apologista pag. 192. dicit, quod dicti Vicarii Generalis, quam ibidem adfert declaratio, data fuerit *loco sententiæ absolutoriæ* in verbis: *Que les témoins produits par les Regleurs de la Franchise d'Eupen au Pays de Limbourg au mois de Mai* 1696., *n'ont rien déposé contre la Doctrine, bonnes mœurs & reputation du Reverend Sr. Nicolas Heyendal.*

§. 12.

Responsio pro Eupensibus quòd hæc declaratio de mense Maio 1696. *nihil faciat ad rem, nec possit afficere sententiam posteriorem latam ultimâ Julii* 1697.

DIstingui petunt tempora & personas. Aiunt illud, *que les Regleurs de la Franchise d'Eupen n'ont rien déposé au mois de May* 1696. Simul stare cum hoc, quòd alii alibi, & plures ex illis postmodùm varia deposuerint contra Doctrinam & mores, prout suprà probatum existimant, & deinde vim maximam ponunt in ultima sententia per Principem ultima Julii anni non 1696. sed 1697. lata.

§. 13.

An Epistola honoraria quam se Apologista dicit recepisse ab Administratore ut Pastoratum dimitteret, sanet sententiam Serenissimi Principis?

SEptimò, Apologista profert dicti Vicarii Generalis Epistolam sibi die 11. Augusti 1697. scriptam (prout asserit pag. 193.) quam prætendit datam fuisse *loco sententiæ absolutoriæ*.

§. 14.

Responsio pro Eupensibus, quòd hæc Epistola, etsi vera esset, nihil de sententiæ vigore tolleret, vel tollere posset: & hæc tandem ex necessitate reproducitur.

PEtitur pro Eupensibus reflecti ad verba Epistolæ quam Princeps ad dictum Vicarium scripserat, *pour la conservation de sa reputation, & celle de son Monastére.* Cùm ergò moderatissimus Princeps sic voluerit expleram justitiam, ut quantùm posset servaretur Apologistæ & Monasterii ejus *reputation*; existimant (si tamen epistola vera est) Vicarium Generalem voluisse simul ferire, & quodammodo sanare, ex certa œconomia propter consequentias; ideòque deaurando, ùt dici solet, pillulam, dedisse magna encomia, quæ non possent nocere, quia similes laudes, in talibus circumstantiis datæ, non tam significant virtutes quas laudatus habeat, quàm quas habere debeat, & per istas monetur, ut quas non habet, habere satagat. Nec enim est apparens quòd Vicarius Generalis voluisset contraire sententiæ, & intentionibus sui Principis Episcopi, vel spernere mandatum quod acceperat *sans replique & contradiction*, ipse qui non ampliùs judex, sed merus executor erat. Non enim ipse propriè ad Apologistæ Abbatem scripsit, ut hunc revocaret, sed simpliciter misit sententiam à Serenissimo Principe Abbati directam, sequentis tenoris, inquiunt.

„ JOSEPH CLEMENT &c. Venerable, cher, & bien amé, vous „ vous souviendrez, que nonobstant les avis réïterés de notre Conseil „ touchant l'avocation de votre Religieux Nicolas Heyendal, de la „ Vicairie d'Eupen pour le repos du-dit Bourg, qui du premier jour a „ protesté contre son institution, & s'en est trouvé jusqu'à présent em- „ barrassé par des procès & inquietudes continuelles, nous avons sus- „ pendu l'exécution de notre resolution sur les offres que vous nous avez „ faites, de nous faire connoître par des preuves incontestables, que la „ Communauté étoit entiérement satisfaite de votre Religieux: & quoi „ que nous n'avons entendu du depuis les effets de vosdites promesses, „ nous venons néanmoins de recevoir un acte tout nouveau de ladite „ Communauté, par lequel quatre cent & soixante-trois Chefs de Fa- „ mille declarent l'aversion qu'ils ont contre ledit Heyendal, nous sup- „ pliants très-humblement pour son amotion. Et comme pendant les „ instances nouvelles susdites, notre Vicaire General nous a communi-

„ qué quelques documens en vertu desquels vous prétendez de maintenir „ la proposition que vous nous avez faite ici au sujet de la maintenuë de „ votredit Religieux, & que nous trouvons lesdits documens beaucoup „ anterieurs & refutés de ceux d'Eupen par divers actes solemnels po- „ sterieurs, & ainsi plus capables d'augmenter les differens des Man- „ nans, que d'appuyer votre intention.

„ C'est pourquoi nous avons jugé à propos de vous avertir, que nous „ insistons autant plus dans notre resolution au sujet de ladite avocation, „ puisque les gens impartiaux & bien versés dans cette sorte de matiére, „ approuvent fort notre sentiment en cet égard, nous promettant de „ votre conduite, que vous vous y conformerez, & que vous revoquerez „ ledit Heyendal en quinze jours de la reception de cette-ci, & que vous „ en mettrez un autre suffisant & capable en sa place, afin que nous „ n'aïons pas sujet d'y pourvoir par des moyens nous competens en qua- „ lité d'Ordinaire, & que nous nous passions de faire exécuter pour la „ décharge de notre conscience, notre volonté par la voie que nous or- „ donnons à notre Vicaire General à cet effet, lors que vous y manque- „ rez. Nous prions Dieu au reste de vous avoir, Venerable, cher, & „ bien amé, en sa sainte garde. Bonn, ce dernier de Juillet 1697. *Signé* „ Joseph Clement Electeur. *Et plus bas*, J. Simon Eizenberger. „ *L'inscription étoit*, Au Venerable, cher, & bien amé l'Abbé de Rolduc &c.

Hæc fuit sententia finalis, circa cujus tenorem pro Eupensibus maximè instatur, ut seriò consideretur an sit apparentia quòd Serenissimus Princeps per illam voluerit *gratiam victis præstare*, quemadmodum Apologista per illam condemnatus gloriatur pag. 202:

§. 15.

Interlocutio nostra.

De septem his articulis sic pro Eupensibus affirmant, sic respectivè negant: & concludunt quod Apologista in prefato suo libro, cui titulus *Apologia*, non debuerit Catholicos Eupenses traducere tamquam *scandalosas* &c. prout facit pag. 198. & seqq. nec admittere nuperum diffamatorium carmen honorarium quo nimis atrociter appellantur *iniqui, furentes invidiâ, plena furoris monstra, gens impia*, & hujusmodi; petuntque &c.

Apologista ex alia parte me alloquitur pag. 202. *Causa instructa est. Jam tuum sit, Eximie Desiranti, judicium, non uter duorum illorum Superiorum ma-*

jor sit, Princeps an Coadministrator, nam iste sine comparatione illo major, & dignior est : sed primò utrùm quod pronuntiavit pro me Coadministrator Judex in causa, non magis valere debeat quàm quod contra me rescripsit Princeps GRATIAM VICTIS PRÆSTARE VOLENTI, *secundò utrùm ea quæ de me scripsit Coadministrator non magis faciant ad defensionem meam, quàm ea quæ de me scripsit Princeps, ad accusationem meam.* P.P.

Ecce in quas me angustias Apologista conjecerit, dum me vel judicem vel arbitrum statuit in hac Causa. Quid nunc agam ? Novam, si recuso, invidiam subeo ; Notam verò ambitionis, ùt metuo, si me ingero. Conabor lucrari tempus, memor istius Senecæ,

Quod ratio nequit sæpè sanavit mora.

Cùm igitur in hac causa, in qua merè inquiritur, qualiter res peracta fuerit, Partes non conveniant in factis, & Apologista non respondeat directè ad ea quæ annis 1696. & 1697. dicuntur objecta fuisse, interloquar hoc modo : *Adducta pro Eupensibus Responsa loco Replicæ, communicentur Parti, ut duplicet articulatim intra trimestre à die notitia hujus, sub pœna confessi.*

QUÆSTIO OCTAVA.

An Apologista cum suis sponte suâ jurando formularium Alexandri VII. sese utcumq; purgaverint à labe Jansenismi ? Item de binis classibus, perjurantium, & jurare nolentium ?

SPeciosa fuerat declaratio quam Apologista, nomine nonsuo, sed defuncti Abbatis *Joannis Bock* scribens in *Orthodoxia* pag. 16. fecerat verbis sequentibus : *damnatum in quinque præfatis propositionibus Janseniani libri sensum, quem illarum verba præferunt, ut hæreticum non ore solum, sed & corde rejicimus, & damnamus.*

Mox tamen me non fefellit opinio, dum de istius declarationis candore credidi suspendendum animùm, nimiùm quippe expertus, nulla in re fuisse hactenus ab adversariis adhibitos astus, dolosque implicatiores, quàm ad eludendam sacram Formularii vim. Figurabam mihi schema vasalli, qui coactus prętare homagium cum juramento fidelitatis, subornaverat socium fraudis, qui quo tempore ipse movebat muta labia, verba proferebat, quibus Dominus fallebatur. Duo enim fuerant, & neuter juraverat. Similiter Orthodoxiæ verba prolata, seu scripta fuerant nomine Abbatis : sed Abbas tacebat. Duo fuerant, & neuter loquebatur.

Quàm non vana fuerit hæc mea cunctatio, subsecuta Apologia prodidit, quam Apologista postmodùm proprio nomine edidit. Tota illic præfatæ Orthodoxiæ declaratio non modò negligitur, verùm etiam enervatur. Sed scilicet variandi occasionem fecit Licentiati Joannis Opstract libellus statim post Orthodoxiam editus contra Eruditum Dominum Leodiensem Canonicum Henricum Denis principaliter, & secundariò adversus Apologistam, sub titulo, *Responsio pro Eruditissimo viro ...... Epistola Leodiensis Confutatore ad Perillustrem ejusdem Epistola Authorem, Defensorem, & Vindicem* 1710.

Enimverò præfatus Dominus Canonicus evulgaverat quemdam libellum, *Defensio authoritatis Ecclesia vindicata contra Eruditissimum virum ...... Jansenio suppetias ferentem*, per hunc virum intelligendo præfatum Joannem Opstraet, cujus genium descripserat variis modis. Pag. 10. eum appellaverat *temerarium*. Pag. 11. *Multum erigeris fili Levi.* Pag. 13. *Oppositum à vobis extorquet cæcum Janseniana defensionis studium.* Pag. 27. *Tibi ipsi serio considerandum relinquo, quid honestas, quid timor Dei à te exigant, & num hîc locum non habeat, quæ de restituendo proximi honore injustè ablato sapiùs docuisti.* Pag. 36. *Examina, Frater, originem pruritûs tui ad defensionem Jansenii.* Pag. 94. *Cur nos à Catholicorum Grege separari vis, ut tibi adhæreamus?* Pag. 140. *Si reipsa sint conformes menti Jansenii, immeritò illum accusavi: sin minùs, reus es non solùm injuriarum, ac effrenis audacia, quâ sine pudore toties me calumniari dicis, sed etiam injustissima rebellionis in Summos Pontifices & Ecclesiam, divisionisque tristissima quam inter fideles, quantùm in te est, foves.* Pag 155. *Habes igitur, animosè nimiùm Jansenii defensor, undè tuam aberrationem agnoscas.* Pag. 162. *Non pudet, vir Eruditissime, talibus armis bellum gerere adversus Eccclesiam?* Pag. 191. *Petulantissimè triumphas, & triumphum tuum hâc puerili jactantiâ [si rem suo nomine appellare licet] concludis.* Pag. 303. *Porrò quæ sequuntur hujusmodi sunt, ut perfrictæ frontis te esse oporteat, nisi ad illa rubore suffundaris.* Pag. 306. *Nihilominus utriusque patrocinium suscipere non dubitas, perinde ac si grande piaculum foret, crassissimos Jansenii errores non tueri.* Pag. 307. *Cum justa responsio tibi deesset, bilis accensa est, atque putidum fumum, ut solet, pro luce emisit.* Pag. 327. *Et sic de Ecclesia triumphari posse putas. O miserum, pudendumq; parvuli filii de Augustissima & sanctissi matre triumphum!*

Idem Dominus Canonicus Pag. 9. alludens ad factum D. Joannis Liberti Hennebel, qui in mense Novembris anno 1708. in manibus strictæ Facultatis Theologicæ juraverat, atque signaverat formula-

rium Alexandri VII. ad sensum Constitutionis Clementinæ *vineam Domini Sabaoth*, laudaverat jurantis exemplum, & Opstratium redarguerat quòd illum ideò indignis modis excepisset. *Crede mihi*, inquiebat, *non ego solus agrè fero quòd virum gradu, & omnium judicio, doctrinâ te superiorem depingas ùt miserum Doctorem, ex una in aliam arcem te & tuos fugientem.*

Ad hanc objectionem Joannes Opstraet in supradicto suo libello respondit, multos quidem putasse quòd suam Hennebellus dum juraverat, circa formularium mutasset sententiam: Eundem verò desuper interogatum fuisse, *quo sensu nuper Formulario Alexandri VII. subscripsisset? Nec mora pro candore suo vir Eximius ingenuè fassus est se illi subscripsisse illo sensu quem Roma exposuit in memoriali coram Sede Apostolica exhibito, quod typis editum extat ad calcem libri cui titulus La Paix de l'Eglise pag.* 277. Hactenùs Joannes Opstraet, qui postquam dictum memoriale exhibuisset, concludit: *Atque hoc quidem est memoriale juxta quod se aliquando formulario subscribere paratum exhibuit, & nunc subscripsisse respondit Doctor Hennebellus: Nec ignoras juxta idem subscribere paratos omnes Belgas Theologos, ac inprimis Virum Eruditissimum cui insultas*, id est, ipsum Joannem Opstraet, qui hæc dicit.

Hinc nascetur quęstio, an Apologista cum suis qui hanc Joannis Opstraet responsionem viderant, non etiam nuper in mense Maio Alexandri VII. formularium juraverint juxta memoriale Hennebelli.

Jansenistas enim hac in parte divisos esse quis ignoret? Quin & idem Joannes Opstraet memoratam jurationem Hennebellianam palàm impugnat verbis sequentibus: *Fuit tamen in subscriptione Hennebelli quod displiceret. Primò subscripsit simpliciter, nullâ declaratione adhibitâ, nullâ de suo memoriali factâ mentione. Secundò subscripsit coram Facultate Theologica Lovaniensi, quæ aliter, quàm juxta ipsius memorialis subscriptionem accipiebat. Tertiò, subscripsit coram Orbe Universo, qui constitutionem Clementinam, juxta quam subscribere se profitebatur, alio sensu quàm qui memoriali ejus exprimitur, passim intelligit.*

Loquitur admodùm positivè, & eatenùs perquam Orthodoxè. Nemo Christianus dubitavit quin juramentum pręstandum sit juxta intentionem exigentis: cùm enim illud adhibeatur ad tollendam omnem ambiguitatem, & stabiliendum candorem in societate humana requisitum, reus est ęternæ veritatis quisquis Deum testem invocans veritatem abscondit adminiculo mendacii, vel restrictionis mentalis.

Reliquum est ut exhibeamus eundem Joannem Opstraet perspicuè

docentem, quod Janſeniſtarum claſſis una ſit perjurantium, altera jurare nolentium. Hic autem Janſeniſtas novit omnes, aut nullus, qui ſcripſit pro omnibus, qui pro omnibus laboravit, & ab omnibus appellatur Scutifer, *l'Eſcuier*, juxta famoſam clavim Janſenianam.

Objeceram ei in meis Dialogis pacificis pag. 118. & 119. quòd ſibi videretur contradicere, dum in quadam ſua reſponſione ad quęſtionem 10. agnoviſſet Janſeniſtarum paucitatem, qui paulò antè in reſponſione ad quæſtionem 8. illorum numerum extenderat ultra centum millia. Verba mea fuerant: *creſcit, ut video, numerus & decreſcit, prout anonymo lubet. In reſponſione namque ſecunda ad quaſtionem 8. Janſeniſtarum numerus ſuperabat centum millia; in præſenti verò quaſtione 10. immenſus ille & rotundus centum millium numerus ad paucitatem redactus eſt. Quis intelligat? Quis iſta combinet?*

Ad hoc autem idem Joannes Opſtraet in Libello ſuo cui titulus, *Aſſertio Opuſculi quod inſcribitur, De quaſtione facti Janſeniani varia quaſtiones Juris & reſponſa*, reſpondit pag. 82. *ut intelligas, ut combines, Dialogiſta, accipe ſimile..... ſic eorum qui jurare recuſant, numerus quidem magnus eſt in ſe, ſed comparatè ad eos qui jurant exiguus.* Agebatur de ſolo numero Janſeniſtarum.

De Jurantibus autem, & jurare nolentibus, dixerat in Libello, *de Quaſtione Facti Janſenii Varia Queſtiones Juris & reſponſa*, ad quęſtionem 13. *Quod malum ex formulario Eccleſia? Reſpondeo multiplex. Primò, quòd innumera fiant perjuria ab iis, qui etſi certi non ſint doctrinam hæreticam libro Ianſenii contineri, juramento tamen id affirmare coguntur. Secundò, Quòd qui ſolo timore Deum offendendi jurare non audent, ab omnibus officiis, dignitatibus & functionibus Eccleſiaſticis repellantur etſi cætero qui doctrinâ, pietate, zelo aliiſque dotibus excellant.* Agitur ſcilicet de *les honnêtes Gens.* En interim geminam Janſeniſtarum claſſem, perjurantium unam, alteram jurare nolentium.

Juvat hanc rem altiùs repetere.

Quemadmodùm dictus Joannes Opſtraet in ſuprà memorato libello ſuo, *Reſponſio pro Eruditiſſimo Viro* &c. Dixerat, Hennebellus declaraverat ſe anno 1708. juraſſe in ſenſu Memorialis à ſe Romæ die 22. Septembris 1700. exhibiti.

Atqui erat hic antiquus Hennebelli error de quo Romæ ſex annis anteà convictus & ad palinodiam damnatus fuerat. In famoſa ſiquidem Deputatione Romana pro Formularii Alexandrini ſenſu à me tamquam Epiſcoporum Belgii & majoris ac ſenioris partis Univerſitatis Lovanienſis Deputato ex una, & à Doctore Joanne Liberto Hennebel cum

suis ex altera parte suscepta, Pontifex Innocentius XII. tum per Decretum de 28. Januarii 1694. tum per Breve Apostolicum ad Episcopos Belgii de 6. Februarii subsequentis duo sanciverat, nimirùm primò, *qui ad juramentum adigendi sunt, illud præstare debent sincerè absque ulla distinctione, restrictione, seu* EXPOSITIONE, *damnando eas propositiones ex libro Jansenii excerptas in sensu obvio, quem ipsamet propositionum verba præ se ferunt, prout sensum illum damnârunt Summi Pontifices Prædecessores nostri, damnatumque haberi voluerunt à Christi Fidelibus.* Secundò verò, *quoscumque alios sensus Formularii prædicti præter eum quem in sensu obvio ipsius verba per se exhibent, afferri, usurpari, aut de his disputari interdixit & prohibuit.* Verba autem Formularii sunt. *Quinque Propositiones ex Cornelii Jansenii libro, cui nomen Augustinus, excerptas, & in sensu ab eodem Authore intento, prout illas per dictas Constitutiones Sedes Apostolica damnavit, sincero animo rejicio, ac damno, & ita juro &c.* Evidens erat, quòd juxta mentem Pontificis duo præstanda forent. Primò ejurandus sensus Propositionum: secundò ejurandus sensus Authoris seu libri.

Hennebellus autem Author fuit ut Jansenistæ primum arriperent de obvio sensu Propositionum, rejecto seu neglecto secundo de sensu obvio verborum Formularii, & consequenter de sensu Authoris seu libri. In hunc finem die 20. Februarii ejusdem anni 1694. ausus fuit luculentam ad Mechliniensium Archiepiscopum, quem pro Adversario habebat, scribere epistolam, in qua non modò frangebat præceptum silentium, quod ipsemet poposcerat, verùm etiam asserebat juramentum juxta sensum suum non cadere super librum Jansenii, sed super Propositiones in sensu obvio, prout contendebat se in quodam scripto suo exposuisse, sensumque suum à Pontifice & Cardinalibus probatum fuisse. En, inquiebat, *Illustrissime Domine, meum de Formulario sensum, quem coram Summo Pontifice, Eminentissimis Patribus exposui, quem Apostolicæ Sedis judicio nequaquam improbatum esse ex supradictis constat. Juxta quem, non ego tantùm, sed omnes, quorum hic causam ago eidem formulario cùm opus fuerit, parati sumus subscribere.*

Et quamquam Sanctissimus Pontifex, ùt vidimus, mandasset subscribi *absque ulla expositione*, Hennebellus tamen in eadem epistola suam ipsius expositionem à Pontifice & Sacra Congregatione dicebat approbatam, & pro illius approbationis signo allegebat sequentia: *Paucis post diebus quàm Sacræ Congregationi sensum hunc nostrum de Formulario exposuissem, Sanctitas sua tam Catholicæ Suæ Majestati, quàm Electorali Celsitudini per Apostolicum suum Ministrum, & per Regium in hac Urbe Oratorem significari voluit, per Sanctam Sedem non stare quo mi-*

nùs ad quascumque Lovaniensis Academiæ Cathedras, aliaque munia promoveri possem. Quod quidem, Præsul Illustrissime, hìc non commemorarem, nisì indè planè constaret quàm fuerit aliena Sedes Apostolica ab improbanda hâc nostra de Formularii sensu EXPOSITIONE.

Statim verò ut Mechliniensium Archiepiscopus authenticam hujus epistolæ copiam ad me remisit, ego jussus ex officio denuntiavi eam: atque hæc tam graviter Sanctæ Sedi displicuit, ut jactatum pretensæ approbationis signum voluerit circumscriptum, jusseritque Bruxellensi Internuntio Apostolico in signum contrarium, sequentem ad Mechliniensium Archiepiscopum epistolam dare: „ Illustrissime ac „ Reverendissime Domine, accipio litteras à Sacra Congregatione, „ in quibus habetur, quòd licèt aliàs mandaverit indicari Serenissi„ mo Duci Bavariæ, nullum subesse motivum, quin Doctor Henne„ bel promoveri posset ad Cathedras, & beneficia, attamen visâ & „ recognitâ Epistolâ ab ipso scriptâ 20. Februarii, & tantùm red„ dita Illustrissimæ V. Mense Junio, in qua sibi arrogat supra suum „ Superiorem, & ratiocinando declarat determinationes Apostolicas, „ quoad Formulare Alexandri VII. non obstante silentii impositione; „ modò debeam; uti brevi faciam, significare Suæ Celsitudini Ele„ ctorali, ut velit supersedere à collatione Censuræ, & Canonica„ tûs dicto Doctori destinati, quoadusque Eminentissimis Dominis „ penitùs satisfaciant, & explicati sint ejusdem sensus. Hoc idem „ notificatum fuit Excellentissimo Domino Oratori Regis Catholici „ in Urbe, debeoque aperire Dominationi vestræ Illustrissimæ. „ Bruxellis 28. Julii 1694.

Fuerunt autem Hennebelli sensus discussi, judicatumque quòd Epistola ejus sensui S. Sedis contraria foret, & quòd insuper præscriptum silentium violasset. Nolo meminisse in quibus Hennebellus tunc periculis versatus fuerit, quamquam ipse posset recordari, quàm moderatè egerim cum devicto. Ad rem præsentem sufficit quòd feliciter evaserit quidem, sed mediante Palinodiâ sequenti, quam in Sancto Officio lætus signavit: „ Declaratio Joannis Liberti Hennebel, circa Episto„ lam quamdam ad Reverendissimum Dominum Archiepiscopum „ Mechliniensem scriptam, exhibita Sacræ Congregationi Sancti Of„ ficii die 14. Septembris 1694. Ego infrà scriptus ex parte S. „ Congregationis S. Officii paternè commonitus, Epistolam quam die „ 20. mensis Februarii proximè elapsi ad Reverendissimum D. Ar„ chiepiscopum Mechliniensem scripsi, eidem Sacræ Congregationi „ multùm displicuisse, utpotè quam Eminentissimi Patres Decreto

„ Apostolico die 6. ejusdem mensis emanato contrariam esse judica-
„ verunt, declaro per præsentes, quòd huic S. Congregationis de
„ Epistola mea judicio per omnia me submitto, improbans quidquid
„ Eminentissimi Domini in præfata Epistola mea improbandum censue-
„ runt. Epistolam verò ipsam scripsisse multùm doleo, neque me
„ imposterum simile quid facturum, sed Decretum Apostolicum,
„ præscriptumque in eo silentium inviolabiliter observaturum pro-
„ mitto; hoc unum impræsentiarum Eminentissimos Dominos humil-
„ limè rogans, ut mihi culpam ingenuè agnoscenti, ac emendare
„ spondenti, pro sua benignitate, ac paterna pietate ignoscere, & ve-
„ niam dare dignentur. Romæ hâc die 14. Septembris 1694. Joan-
„ nes Libertus Hennebel.

Actus fuit satis solemnis, multis circumstantiis, Jansenistarum fastis adscribi dignis vestitus. Cùm tamen nec sic emendaretur, sed circumseptus Jansenistis qui è Galliis fugerant, multa patraret quæ Principalibus ejus displicebant, præsertim Libellus quidàm, quem in mense Maio exhibuerat Suæ Sanctitati, deputatio ejus ad S. Sedem per Universitatem Lovaniensem publicè die 16. Junii 1696. revocata fuit per Actam sequentem: „ Die 16. Junii 1696. indicta & servata est
„ Universitatis Congregatio sub juramento, in qua proposuit Mag-
„ nificus Dominus, quòd sub finem præcedentis Rectoratûs prælectus
„ fuerit Libellus per Eximium Dominum Hennebel exhibitus Suæ
„ Sanctitati, qui Libellus tunc improbatus fuit per Universitatem
„ juxta extracta quæ tunc fuerant prælecta Universitati: Sed cùm
„ fierent querelæ postmodum, quòd integer Libellus non fuisset præ-
„ lectus, ideò sub initio huius Rectoratûs distributus fuit dictus Libellus
„ per copias Decanis singularum Facultatum, ut respectivè Facultates
„ informarent, & legerent qui vellent: Propterea Magnificus Domi-
„ nus requisitus à tribus Decanis Facultatùm, indixit hodiernam Congre-
„ gationem sub juramento, proponens an & quid placeret Universitati
„ desuper resolvere? Et ut dignaretur suum finale judicium super eum
„ depromere. Et tres Facultates, scilicet Theologica, Civilis & Medi-
„ ca resolverunt revocari commissionem Deputati, datam aliàs Eximio
„ Domino Hennebel: Facultates autem Canonica, & Artium resolve-
„ runt, nihil esse immutandum, & quod causa istius Memorialis sive
„ Libelli penderet Romæ, & sustinuerunt rem esse arduam, quo audito
„ Magnificus Dominus Rector ex resolutione Dominorum Deputato-
„ rum proposuit Universitati, num esset res ardua? Et ex deliberationibus
„ conclusit, quòd non esset, adeòque juxta resolutionem trium Faculta-

„ tum anteà declaratam, conclusit finaliter Magnificus Dominus, re-
„ vocari commissionem seu characterem Deputati aliàs ab Universi-
„ tate concessum Eximio Domino Hennebel.

Adversario itaque satis dejecto, exauthorato, devictoque, reliquum erat ut cùm insuper certioratus essem, quemadmodùm ex sacrato Suae Sanctitatis ore intelligere merueram, quòd ad meam instantiam statim post meum discessum ad Episcopos Belgii mittendum foret Breve Apostolicum, quo novitiæ Jansenistarum circa Formularium Expositiones iterùm, & adhuc clariùs rejicerentur, ego ex Urbe in Belgium redii die 12. Novembris 1696. & præfatum Breve die 24. ejusdem mensis subsecutum fuit, & incipit, *Litteras, quas 19. Junii ad nos dedistis.*

Hennebellus quidem Romæ mansit usque ad annum 1700, & possit verum esse quòd immemor sui à tergo die 22. Septembris exhibuerit memoriale quod jactat; hoc autem scriptum vel factum ejus nullatenùs purgare posse funestam intentionem juxta quam se anno 1708. ùt dictum est, jurasse fatetur, patet ex sequentibus. Primò erat tunc privatus & exauthoratus. Secundò, memoriale illud repetebat errores in anteriori ejus Epistola ad Mechliniensium Archiepiscopum contentos, quos in S. Officio condemnatus solemniter recantaverat. Tertiò Summus Pontifex Innocentius XII. non potuit erraticum hoc memoriale vidisse aut examinâsse, quia grandævus Senex tunc erat in extremis, paulò post die 27. ejusdem Septembris defunctus. Quartò, prætensum hoc memoriale nullam ab illo, vel illis quibus oblatum fuit accepit approbationem, nec ulla exhibetur. Quintò, subsequens Constitutio Clementis XI. *Vineam Domini Sabaoth* est posterior, omnemque imaginabilem ambiguitatem tollit, ita ut jam sit nefas dubitatu vel sustentu quòd juramentum ex mente Pontificis tantùm caderet super sensu obvio propositionum, & non etiam super sensu obvio libri. Sextò, Facultas Theologica non exegit ab Hennebello juramentum juxta sensum memorialis quod perperam dicitur impressum retro libellum cujusdam famosi Apostatæ, *la Paix de l'Eglise*; sed expressis terminis juxta præfatam Apostolicam Constitutionem *Vineam Domini Sabaoth.* Igitur æquè dolosum est, sensum dicti Memorialis reclamare in juramento quod exigitur ad normam dictæ Constitutionis, quàm subdolum esset, si quis Lutheranus vel Arrianus taliter à tergo exhibuisset & imprimi curasset memoriale, in quo declarasset se per transsubstantiationem intelligere penetrationem in substantia panis, & per consubstantialitatem supponere substantiarum similitudinem, &

ita in reliquis articulis elulorias interpretationes daret, atque sub hoc prętextu juraret formulam Pii. IV. Hæc sunt peremptoria, quæ non persistentiam vel excusationem, sed publicam pœnitentiam & emendationem postulant.

Nunc expendendum quonam sensu Apologista cum suis Alexandri VII. formularum suâ sponte juraverint. Taceo suspectum esse quòd non id fecerint ad exigentiam Superioris qui Constitutionis Clementinæ sensum clarè & distinctè exposuisset. Simpliciter quæro quonam sensu juraverint, seu quânam intentione verbis expressâ. Scio quòd propositum mente retentum exteriùs nil operatur: Restrictionem verò mentalem, quæ juramenti verbis repugnat, hominem perjurum statuere coram Deo, atque si hæc insuper verbis expressa fuerit, etiam coram hominibus, limpidissimi Juris est.

Et quidem si Rodenses jurassent statim post editam Orthodoxiam, pręsumptio juris foret quòd non tantùm ejurassent damnatum sensum obvium propositionum, sed etiam *sensum damnatum libri Jansiniani*, prout ibidem dicitur pag. 16.

At verò, ùt suprà diximus, contra hanc Orthodoxiæ partem scripsit Joannes Opstraet, illamque graviter redarguit in memorata *Responsione pro Eruditissimo Viro &c.* contendens non reputandos pro Jansenistis qui Jansenii librum defendunt, sed illos solos, qui aliquam ex quinque damnatis propositionibus.

Atqui tu, ô Apologista, deservisti præfatam Orthodoxiæ partem tamquam rem nullius, & subiisti castra inimica, atque in Apologia tua subsequenti contra Constitutionem Clementinam claris terminis asseruisti neminem reputandum pro Jansenista, nisi qui aliquam ex quinque famosis propositionibus tenuert. En tua verba in Monito ad Lectorem: „ Is qui nuper respondit pro Eruditissimo Viro Epistolæ „ Leodiensis confutatore ad perillustrem ejusdem epistolæ authorem, „ defensorem & vindicem..... breviter sic habeat. Primò, nos, autho„ re Innocentio XII. neminem pro Jansenista traducendum aut haben„ dum ducimus, nisi quem aut aliquam ex quinque famosis proposi„ tionibus palàm tenere, aut saltem priùs suspectum esse legitimè „ constiterit, aliquam ex his propositionibus docuisse, aut tenuisse. „ Hanc solam notam internoscendi Jansenistas, ùt veram & unicam „ agnoscimus. Quisquis alias nobis attribuit, non nostra profert, sed „ adversariorum nostrorum sensa nobis imputat. „ Sensus est clarus. Quisquis dicit, damno propositiones, is juxta Apologistam non est Jansenista, tametsi adderet, librum non damno, sed defendo, cùm

tamen, ùt cętera taceam, experientia testis sit, quòd qui taliter garriunt, propositionibus tribuant sensum improprium sub prętextu sensûs obvii, & defendentes librum, tueantur verum, naturalem, & obvium propositionum sensum, in quo damnatæ fuerunt. Hæc tua declaratio postrema, cui tuos, uno vel altero ex sanioribus excepto, se conformare jactas. Quomodò cecidisti, qui tam leviter stetisti! quomodò nunc te explicas nomine proprio, qui tam pręclara scribere in Orthodoxia visus fueras alieno! Sed nempè ùt suprà monui, defunctus Abbas illic movebat labia, tu sonum edebas, & neuter loquebatur. O astutia humana! quasi verò non potiùs dicendi sint Jansenistæ qui Jansenii librum quem principaliter & toties damnatum esse constat, cum pertinacia defendunt. Si verborum subtilitas placet, si Jansenistæ non sint qui librum tuentur, igitur qui solas propositiones, non Jansenistæ, sed propositionistæ, quod ridiculum est, dicendi erunt. Muta igitur antecedentia, si vis cavere sequentia. Pręsumptio est, quòd tu cum tuis formaveris intentionem juxta mox relatam, quæ tua posterior erat, intentionem, quam nisi tu cum tuis palàm ex pœnitudine revocaveris, non habeberis quidem tu cum tuis de classe jurare nolentium, videris autem ne habearis de altera quam Amasius vester Joannes Opstraet ingenuè agnovit, nominavit, distinxit.

